UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct. Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Capvt Octavvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-82999

Visual Library

## VERSVS 29.

*Erat enim docens eos ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.*

### QVÆSTIO I.

*Quid eſt docere tanquam poteſtatem habentem?*

§. 1. BEllarminus lib. 4. de iuſtificatione cap. 2. Docuiſſe illum ex autoritate, tanquam legiſlatorem, qui legem non exponeret modò, ſed nouam etiam poneret, veterem ad primæ originis puritatem reduceret. itaque hinc quoq; docemur Chriſtum legiſlatorem eſſe, nam poteſtas præcipientis eſt. Deinde legem Dei ex fine & recta ratione interpretabatur non more Phariſæorum, deinde ex animo loquebatur, feruenter, ſerio, non laudem eloquentiæ aucupatus, ſed animarum ſaluti ſtudioſe incumbens. Deniq; exemplo monſtrabat, non ſolis verbis docendam virtutem; Eſt enim virtus docentis, qui perſuadet, non oratio; quæ quo eſt accuratior, eo ſuſpectior eſſe ſolet, exempla enim mouent, verba ſonant.

Ἄφωνον ἔργον κρεῖσσον ἀπεράντε λόγε.

*Tacitum opusocioſa loquacitate præſtantius eſt.*

Auctoritatem ex modo pronunciandi, mouendi, miracula faciendi, æſtimatam fuiſſe res ipſa docet. Hæc enim omnia, quaſi ſuprema poteſtate & Dei filius naturalis faciebat, non vt ſeruus fidelis, ſed vt filius in domo Patris. Itaque inde ſtupor inuaſit omnes, & admiratio multorumque ſecuta fides Magiſtri autoritatem firmauit.

## CAPVT VIII.

*CVm autem deſcendiſſet de monte ſequutæ ſunt eum turbæ multæ: 2. & ecce leproſus veniens: ado-*
Mar. 1. d. 40 *rabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. 3. Et extendens Ieſus manum, tetigit eum,*
*dicens: Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius. 4. Et ait illi Ieſus: Vide, nemini di-*
Luc. 6. c. 12. Leui. 14. a 2 *xeris: ſed vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. 5.*
Luc. 7. a. 1. *Cum autem introiiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum, 6. & dicens: Domine, puer meus*
Luc. 7. a. 5. *iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. 7. Et ait illi Ieſus: Ego veniam, & curabo eum. 8. Et reſpondens*
*Centurio, ait. Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer*
*meus. 9. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic; Vade, & vadit,*
Mal. 1. c. 11. *& alij, Veni, & venit: & ſeruo meo, Fac hoc, & facit. 10. Audiens autem Ieſus miratus eſt, & ſequentibus ſe*
*dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. 11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, &*
*Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: 12. filij autem regni e-*
Mar. 1 d. 32. *ijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & ſtridor dentium 13. & dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut*
*credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora. 14. Et cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum eius*
Iſa. 53. a. 4. 1. Pet. 2. d. *iacentem, & febricitantem. 15. & tetigit manus eius, & dimiſit eam febris, & ſurrexit, & miniſtrabat eis. 16.*
24. *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eijciebat ſpiritus verbo, & omnes male haben-*
*tes curauit: 17. vt impleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem: Ipſe infirmitates noſtras ac-*
Luc. 9. g. 54 *cepit, & ægrotationes noſtras portauit. 18. Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum.*
Mar. 4. d. 36 *19. Et accedens vnus Scriba, ait illi; Magiſter, ſequar te, quocunq; ieris. 20. Et dicit ei Ieſus: Vulpes foueas ha-*
Luc. 8. g. 22 *bent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. 21. Alius autem de diſcipulis e-*
*ius ait illi: Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meum. 22. Ieſus autem ait illi: Sequere me, &*
*dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. 23. Et aſcendente eo in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius; 24.*
*& ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat. 25. Et acceſ-*
Mar. 5. a. 1. *ſerunt ad eum diſcipuli eius, & ſuſcitauerunt eum, dicentes. Domine ſalua nos perimus. 26. Et dicit eis Ieſus;*
*Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens, imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*
Luc. 8. d. 26 *27. Porro homines mirati ſunt, dicentes; Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei? 28. Et cum veniſ-*
Mar. 5. a. 11. *ſent transfretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes;*
*ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. 29. Et ecce clamauerunt dicentes; Quid nobis, & tibi,*
Luc. 8. d. 32 *Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos? 30. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum*
Mar. 5. b 17 *paſcens 31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes; Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 32. Et*
Luc. 8. c. 37. *ait illis; Ite, At illi exeuntes abierunt in porcos, & ecce impetu abijt totus grex per præceps in mare; & mortui*
*ſunt in aquis. 33. Paſtores autem fugerunt; & venientes in ciuitatem, nunciauerunt omnia, & de eis, qui dæ-*
*monia habuerant 34. Et ecce tota ciuitas exijt obuiam Ieſu; & viſo eo rogabant, vt tranſiret à finibus eorum.*

## IN CAPVT OCTAVVM

### *ARGVMENTVM.*

*Doctrina miraculis firmanda.*

DOCTRINÆ Chriſtianæ compendium recenſuit Euangeliſta; nunc in eius confirmationem varia miracula attexit. Et quidem omnis generis. Leproſum ſanat in publico, cuius in conſpectu morbus erat. Centurionis filium curat abſens, ne loco alligata videretur eius potentia: Eius fidem laudat, Iudæorum reiectionem, vocationem gentium prædicit. Venientium ad ſe alios reiicit, alios accipit, Scrutator cogitationum, & intentionum cordis. Tempeſtatem ſedat, Dæmoniacos ſanat, Dæmones in porcos ire permittit. Horum tamen miraculorum pars præceſſit, pars ſæcuta eam, quæ ſupra eſt expoſita, Concionem. Non enim ordinem temporis, ſed rerum connexionem habet Euangeliſta.

gelista. Totum hoc caput diuerſis diebus ieiunii, aut ante ieiunium apud Syros in Eccleſia legebatur. Initio enim habetur, *Lectio ad veſperam Dominicæ ſecundæ ieiunii*, & ad verſ. 14. *Lectio ad oblationem ſeptimanæ præcedentis ieiunium.* & ad verſ. 23. *Ad veſperam Dominicæ tertiæ ieiunii.* Quæ cum in titulis teſtamenti Syriaci, tam apud Witmanſtadium, quàm in Regiis, & Complutenſibus Bibliis habeantur, ſitq; in Syriacis Eccleſiis quotidianus vſus, & ieiunii Eccleſiaſtici conſuetudinem probant; & ſectarios illius diſciplinæ inſectatores, priſco more, & lege confutant. *Syro textu ieiunium probatur.*

Cum dicit Chriſtum deſcendiſſe de monte, non connectit hæc cum concionibus, ſed cum illis quæ cap. 4. dixerat de miraculis factis; nunc doctrinæ ſubiicit neceſſariam à miraculis confirmationem. Noua enim dicenti non creditur, niſi & mira facienti. Vt pſeudoprophetis omnis occaſio præcidatur; itaque hos fructus doctrinæ, miraculorumque & morum Euangeliſta proponere inſtituit, vt appareat, vnde authoritas diuina Euangelio ſit quæſita.

## VERSVS 1.

*Cum autem deſcendiſſet de monte ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: & ecce leproſus veniens, adorabat eum, dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare.*

### QVÆSTIO I.

*Quomodo plenus lepra?*

§. 1. SI totus lepra obſitus fuit, vt Luc. 5. 15. *plenus lepra*, non fuiſſe immundum quidam cenſent: nam Leuit. 13. 12. ſin autem effloruerit, vt omnia complectatur, negat ſcriptura immundum. Barradius lib. 8. cap. 2. de leuiore lepra, ſiue ſcabie iſta interpretatur. Tota controuerſia ad Leuiticum pertinet. Huc itaque non eſt accerſenda. Plenus lepra dicitur, qui Leuitic. 13. 9. deſcribitur. *Plaga lepræ, &c.*

*Plenus lepra immunda.* Plenus dici poteſt, non quia omnia omnino ſine vllo interſtitio infecta fuerint, ſed quia per totum corpus ſparſæ maculæ: ita plenus vlceribus Lazarus, nec tamen nulla penitus parte ſine vlcere fuit. Ita atria plena roſarum, campos plenos floribus dicimus. Lepra ipſa tum plena dicitur, cum per omnia ſæuit, vti variolæ, aliique morbi qui ſparguntur. Seneca lib. 3. c. quæſt. natur. Fœdam vocat cutis ex albo varietatem, alis vitiligo dicitur. Herod. in Clio. vocat λεύκην albam. In Iudæa frequens erat. Hinc fabula apud Tacitum lib. 5. hiſtoriæ, de Iudæis ex Ægypto, ob lepram pulſis. ab Elephantiaſi nonnulli diſtinguunt, verum lepræ nomine omnia illa complectimur.

### QVÆSTIO II.

*Quomodo adorabat?*

§. 1. MAgna prorſus humilitate & affectu. Marci 4. *genu flexo* γονυπετῶν αὐτῷ. & Luc. 5. 12. ἐπὶ πρόσωπον *cadens in faciem.*

*Vt Deum adorat.* Adorat velut Deum, vt etiam Toſſanus fateri cogitur, *& religioſe*, inquit, *adorat eum, quem oculis tanquam* θεάνθρωπον *intuetur. Totũ Chriſtum ait obiectum adorationis, licet cauſa ſit Deitas*, quæ diſtinctio, quando vſui fuerit, à nobis adferetur. Hic conſtat, nec humanitatem ſeparatim adoratam, & cultum religionis in diuinitatem natura ſua tendentem, ad humanitatem non niſi improprie, & ob coniunctionem cum hypoſtaſi diuina pertinuiſſe.

Egregie Athanaſius hanc leproſi orationem perpendit: *Quis igitur tam vecors eſt, vt Domino ita loquatur; abſiſte à corpore, vt te adorem? aut quis ita impius eſt, vt cum Iudæis propter corpus dicat ei: cur tu cum homo ſis Deum te facis? Atqui non iſtiuſmodi moribus leproſus erat: adorabat enim Dominum in corpore, eumque Deum eſſe perſentiebat his verbis vtens, Domine, ſi vis, potes me mundare.* Neque ob carnem *arbitratus eſt eſſe creaturam Dei verbum, neque quia verbum erat opifex rerũ, carnem pro nihilo habuit, quam indutus erat; ſed vt in re creata, creatorem ſubſiſtentem adorabat, ideoque mundatus eſt.*

### QVÆSTIO III.

*An hoc miraculo diuinitas Chriſti probetur?*

§. 1. MIracula diuinitatem Chriſti maxime oſtendunt. Non enim modo propria virtute illa fecit, ſed aliis quoque faciendi poteſtatem conceſſit. Chriſtum propria virtute feciſſe conſtat Matth. 9. 6. & 7. Hier. v. 13. & 15. item 6. 9. v. 28. 29. *Summa auctoritatẽ Chriſtus fecit miracula.*

Poteſtatem dat Matth. 10. & Luc. vlt. obiicit Chriſtoph. Oſtorodius Samoſatenianus in Inſtit. Chriſtianæ religionis. [Si Chriſtus, *inquit*, ideo verus eſſet Deus, quia miracula patrauit, ſequeretur etiam omnes quotquot vnquam miracula ediderunt, vnum illum & æternum Deum eſſe. Hoc autem quia manifeſte falſum ſit, liquido quoque inde conſtare, verba Pſalmi à Trinitariis non recte intelligi, quippe quorum ſenſus ſit non quod nemo miracula edere poſſit, præter vnum illum ac verum Deum, ſed quod omnia vera miracula à ſolo Deo proficiſcantur, & ille ſolus potentiam à ſeipſo habeat eiuſmodi miracula patrandi. Ac proinde ſi quis ex miraculis Chriſti, diuinam in Chriſto naturam probare vellet, eum demonſtrare oportere, Chriſtum à ſeipſo potentiam illa patrandi habuiſſe. Quod autem nihil à ſeipſo fecerit, aut etiam facere potuerit, Chriſtum ipſum de ſe verbis diſertis teſtari Ioh. 5. v. 19. & 30. ac proinde Chriſtum nulla miracula à ſeipſo, id eſt, propria virtute, ſed patrem illa omnia per ipſum patraſſe Actor. 2. v. 22.]

*Socinus aliã in Chriſto, aliam in Apoſtolis poteſtatem agnoſcit.* Reſpondeo, Socinum quidem Oſtorodii patriarchæ in Chriſto aliam vim faciendi miracula agnouiſſe. lib. de Chriſto inuocando pag. 72. & 73. *Apoſtolorum poteſtas in eo potiſſimum diuerſa à Chriſti poteſtate fuit, quod ipſe virtute patris in ſe manante res fecit & facit, illi vero virtute quidem eadem, ſed non in ipſis, verum in Chriſto reſidente faciebant, in cuius nomine operabantur.* Idque multis probat & concludit. Ex quibus præter multa alia quæ adferri poſſunt apparet, Chriſtum poteſtatem in ſeipſo habuiſſe ea faciendi, quæ faciebat, quantumuis admiranda opera, atque vt id crederetur voluiſſe. Et paulo poſt. *Ex quibus manifeſtum fit, inquit, virtutem, qua miracula ab Apoſtolis fiebant, non in ipſis Apoſtolis fuiſſe, ſed in nomine & poteſtate Ieſu Chriſti omnia facta fuiſſe.*

Molinæus putat hoc miraculum ab eo Marci 41. differre, verum ratio etſi aliqua apparet, nullo tamen modo firma eſt. Cum vero Chriſtus propria virtute, & voluntatis nutu, ordinem rerum à Deo conſtitutum mutare potuerit, quod nec Angelis nec Dæmonibus conceſſum eſt, ſed Deo ſoli creatori, qui facit mirabilia magna ſolus, Pſal. 71 18. Dubitare non poſſumus Deum eſſe: verùm poſtea pluribus.

### QVÆSTIO IV.

*An in Domini voluntate conſtituerit ſanitatem?*

§. 1. MAgnam Domini potentiã agnoſcit leproſus; *vt ſi velit, mundare poſſit.* S. Athanaſius contra

Arianos ad Adelphium hoc ipſo ex loco Chriſti probat diuinitatem, vt dixi. Leproſus adorabat Dominum, eumque Deum eſſe præſentiebat, vſus his verbis: *Domine ſi vis potes me mundare.* idem Chryſoſt. Euthym. Theophylact. alii ſentiunt. Non tamen ex ſola genu flexione aut in faciem prolapſu id colligendum eſt. Nam Orientales magnatibus eiuſmodi honorem habebant, ſed omnes circumſtantiæ conſiderandæ ſunt. Honorem illum Domino habet; deinde eius voluntatem hac in re authenticam, & ſui iuris agnoſcit. Non petit orari pro ſe, non aliud, ſed voluntatem ſanandi ſufficere indicat. Quin etiam tacite Chriſtum cordis cognitorem profitetur. In eius enim poteſtate ſanitatem collocat. Si vis, nempe ſcis me plagam illam meruiſſe, & cauſas ipſas noſti, totum tibi committo. Itaque & Chriſtus ſola voluntate vſus eſt; dixitque. Volo. Vti Deus olim in mundi creatione, *dixit, & facta ſunt.* Quin etiam S. Ambroſius omnia perpendens. *Volo*, inquit, *dicit propter Samoſatenum, imperat propter Arium, tangit propter Manichæum.* Itaque & Deum & hominem eſſe illa hiſtoria docet, poſſe autem quicquid velit, ſolius eſt Dei. Eundem in modum S. Chryſoſtomus ratiocinatur. *Si vero*, inquit, *non bene ille dixiſſet, ſed blaſphemia fuiſſet in vllo quod dixerat, cohibenda fuerat virtutis operatio.*

*Modus ſanandi Deũ indicat.*

*Si blaſphemaſſet, miraculũ inhibuiſſet.*

§. 2. Non erat fides, ipſa leproſi fiducia, qua ſciret certo, ſibi nullum peccatum vnquam imputatum iri. Verum eius obiectum erat: Chriſtum poſſe, ſi vellet, lepram curare: Ideo conditionata propoſitione vtitur, de voluntate non conſtabat, niſi cum Dominus diceret. *Volo.* Hinc Caluinus non modo de euentu *incertum fuiſſe* leproſum ſcribit, verum etiam dubitat, *an orauerit?* an vero oſtenſo morbo *omnia diuinæ diſpoſitioni reliquerit?*

*Fides non erat ſpecialis fiducia.*

Etiam monet Piſcator bona temporalia petenda cum exceptione, ſi ipſe dare velit; ita hunc egiſſe. Hic ergo non erat fides voluntatis, ſed omnipotentiæ, non ergo fiducia Caluiniana; illa enim certa eſt de iuſtitia ſua, & perſeuerantia, & voluntate Dei erga ſe, atque adeo impetraturam quicquid petierit certo nouit.

Quæ fuerit leproſi fides Melanchthon etiam melius, quam recentiores exponit. [Iam quod dicit leproſus. Domine, ſi vis potes me mundare. Palam eſt, hunc crediſſe, quia dicit potes. Quod vero dicit, ſi vis, eſt reiicientis voluntatem ſuam in voluntatem diuinam. Sic enim orandum eſt omnibus nobis & hac fiducia, quod ſperemus Chriſtum daturum quicquid petimus, modo in ſpiritu, hoc eſt, ſi fuerit è re noſtra, & gloria Domini. Perinde ac puer qui à patre charo aliquid petit, non dubitat, quin ſit impetraturus, & tamen omnia patris relinquit iudicio, ſi conueniat, quod petiit.]

*Sectariorum ſententiâ nõ eſt hic fiducia.*

Ex quo conſtat fidem leproſi non fuiſſe de voluntate ſed potentia Chriſti. Ridiculi igitur ſunt qui hinc fiduciam fabricantur.

§. 3. Voluntarium obſequium eſſe oportere, S. Ambroſius enarratione in Pſal. 1. Dauid ex hiſce probat. *Prior voluntas, ſecunda operatio. Denique vt Dominus dicenti ſibi: Si vis potes me mundare: reſpondit: Volo, mundare. quo oſtendit operationibus noſtris voluntatem præuiam eſſe debere. Denique lex voluntarios quærit, quia lex Domini irreprehenſibilis eſt conuertens animam. Nemo autem conuertitur, niſi qui voluntate conuertitur. Voluntarius autem abſcondit, & ſenſum furatur laboris.*

*Voluntas ſola in actione laudatur.*

## QVÆSTIO III.

*Cur tetigit leproſum?*

§. 1. LEproſi tactus in lege prohibitus fuit, vt aliarum rerum immundarum. Non tamen in eo peccatum fuit, neque enim eo propoſito lex lata videtur. Leproſos enim valde ægros curare, portare, mortuos ſepelire oportuit. Sed lex pœnalis erat, vt qui tetigiſſet, eſſet immundus. Immunditiem ne legalem quidem Chriſtus contraxit, qui alium tangens eum mundauit. Ita Abulenſ. aliique. Conſtat enim Tobiam cadauera portantem & ſepelientem non modo non peccaſſe, ſed gratum Deo officium præſtitiſſe. Neque adeo effrons erat Phariſæorum impudentia, vt ex eo contactu Chriſtum immunditie contaminatum calumniarentur, quo experientia docebantur omnem lepræ moleſtiam, fœditatemque penitus abſterſam fuiſſe.

*Æterna mundi[…] eſt incon[…] minab[…]*

## VERSVS 4.

### *Et ait illi Ieſus, vide nemini dixeris.*

## QVÆSTIO I.

*Cur dicere alicui vetuerit?*

§. 1. CAuſas varias adferunt interpretes, quos inter Baſil. ad Cæſarienſes omnes fere complexus eſt. 1. Ne videretur vanam gloriam conſectari, cuius quidem in ipſo nullum erat omnino periculum, ſed nobis modeſtiam exemplo monſtrare voluit. Ita Origen. hom. 5. in diuerſos, Chryſoſt. hom. 26. Ambroſ. in Luc. 5. ſic Matth. 9. duobus cæcis præcepit, & parentibus, quorum filiam excitauit, ſic quoque Hieron. Ep. 20. ad Theraſiam de vera circumciſione. *Iubet illum nemini narrare ſuam virtutem: ſecretum quoque diuinæ maieſtatis, quod myſterium incarnationis occuluit, ab eo qui ſanatus fuerat, vult ſileri, ne gloriam quaſi homo quærere videretur, quam alio more & myſtica ratione ſuſcepit.* 2. Vt fugeret inuidiam ſacerdotum. 3. Concurſum vitaret, ſed de hoc ſilentii præcepto ſuis dato, ſingularis cauſa eſt. lege cautum erat Leuit. 14. Ne qui leproſus iudicatus eſſet à ſacerdotibus, quamuis omnino perſanaretur, in hominum conſortium, ſine eorundem iudicio admitteretur. ea cauſa, & ſuos ad eoſdem iudices Chriſtus remittit. Periculum porro erat, ne ſi ille intempeſtiuo gaudio præuertiſſet iudicium, cum ſacerdotes odio Chriſti, vel non declararent ſanum, vel recluderent plura examina ſubiturum, ſi enim ad miraculum ſuſcitati Lazari obliterandum, eum cogitabant occidere, cur non hic eodem modo, vel falſo iudicio, vel alia fraude hoc miraculum calumniarentur? Nemini igitur dici voluit, donec iudicio ſacerdotum abſolutus, ciuitati, & familiæ eſſet reſtitutus. Alii quoque aliam rationem adiungunt. Non à quouis, ſed Apoſtolis prædicari voluiſſe; ſed omnes miraculorum teſtes eſſe poterant, neque enim Apoſtolico ſe muneri ingerebant, ſi miracula in ſe facta referrent, eaque laudarent. Caluinus & Beza, id prohibuiſſe, ne turba obſtupeſcens miracula non ſatis ſpatii Chriſto ad docendum daret. Contrarium tamen apparuit. Quo enim plura miracula videbant, eo cupidius, feruentiuſque ſermones audiebant. Vt enim ad verbum audiendum accederent, ideo miracula faciebat. Addo etiam illud, cum tot eodem tempore & tam conſpicua miracula faceret; parum momenti fuiſſe ad arcendam plebem à miraculorum petitione, ſi vnus ille miraculum tacer[…]et.

*Cur tac[…] mirac[…] voluit?*

*Sacerd[…] iudicio […] ſanitat[…] dicaba[…]*

*Mira[…] ad au[…] dum C[…] ſtum […] ciebat[…]*

§. 2. Marcus verſ. 45. Eum cœpiſſe vbique prædicare ideo quidam negant ſerio prohibitum; Caluinus *iure damnandum*, ait, *quod non paruerit Chriſti mandato.* Serio prohibitum non dubito, ſed donec ſacerdoti ſe oſtendiſſet; ille tamen amore Chriſti nimio, & gaudio præceptum tranſgreſſus eſt, qua in re, quale & quantum peccatum admiſerit, ſolus ille nouit, qui ſcrutator eſt cogitationum, & intentionum cordis.

## QVÆSTIO II.

*Cur mittit ad ſacerdotes?*

§.1. CAuſæ dictæ ex parte ſunt, vt abſque moleſtia & periculo ad hominũ conſortia admitti poſſet. Deinde vt ſacerdotio Leuitico honorem haberet, eoſque hoc beneficio mitigaret, ne ſe tam contumaciter perſequerentur. Id ex Marco confirmatur; nam dixit illi; *oſtende te principi ſacerdotum*; honoris cauſa factum putat Cyprianus Ep. ad Rogatianum, *Dominus etiam noſter ipſe Ieſus Chriſtus Rex, & Iudex & Deus noſter vſque ad paſſionis diem ſeruauit honorem pontificibus & ſacerdotibus, quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Nam cum leproſum emundaſſet, dixit illi: Vade & monſtra te ſacerdoti & offer donum. Humilitate ea qua nos quoque humiles docuit, ſacerdotem adhuc appellabat, quem ſciebat eſſe ſacrilegum. lege enim ſacerdotum ſine ſententia publica ſegregatus erat, oportebat itaque & lege reſtitui in integrum.* Auguſtinus quæſt. Euang. Lucarum 3. Probatum hac ratione ait veterum ſacrificium, cui ſucceſſerit corporis eius oblatio. *Quod Dominus dicit leproſo mundato, vade oſtende te ſacerdoti & offer munus pro emundatione tua, ſicut præcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Hic videtur approbare ſacrificium, quod per Moyſen præceptum eſt, cum id non receperit eccleſia. Quod ideo iuſſiſſe intelligi poteſt, quia nondum eſſe cœperat ſacrificium ſanctum ſanctorum, quod corpus eius eſt. Nondum enim in paſſione obtulerat holocauſtum ſuum, quo ſacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipſum euerſum eſt, vbi illa ſacrificia offerri ſolebant. Hoc autem factum eſt ſecundum prophetiam Danielis: non enim oportebat auferri ſignificantia ſacrificia, priuſquam illud quod ſignificabatur confirmatum eſſet conteſtatione Apoſtolorum prædicantium, & fide credentium populorum.* Et libro 1. cap. 19. contra aduerſarium legis & prophetarum, probat vetera ſacrificia non oblata dæmonibus. *Illum ſenſum*, inquit, *veritas ipſa declarat; quia in templo cui ſeruiebat carnaliter Iſrael non vtique idolum colebatur. Nam ſi ſacrificia, quæ in illo templo ſecundum veterem legem offerebantur Deo, tanquam idolorum ſacrificia damnarentur, vel tanquam dæmoniis immolata, nullo modo ipſe Dominus Chriſtus leproſo quem mundauerat, diceret, vade oſtende te ſacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Nondum enim dederat pro ſacrificiis illis omnibus ſui corporis ſacrificium, nondum ſuſcitauerat ſui corporis templum.* Mittendi igitur & illa cauſa fuit, vt ſacrificia illa honoraret, oſtenderetque vnum eundemque Deum eſſe, qui illa ad ſignificandam ſuam gratiam in Nouo Teſtamento conferendam inſtituit, & qui eodem aduentu gratiæ, velut ſigna inutilia ſuſtulit.

*Leuiticos ſacerdotes honorat.*

*Sacrificia vetera probauit.*

## QVÆSTIO III.

*Quod munus offerendum?*

§.1. QVidam legunt τὸ δῶρον σοῦ, quod etiam Syrus habet. Leuit. 14. ſacrificium conſtituitur offerendum. *Adducetur ad ſacerdotem: qui egreſſus de caſtris, cum inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei qui purificatur, vt offerat duos paſſeres viuos pro ſe, quos veſci licitum eſt. & lignum Cedrinum, vermiculumque & hyſſopum. & vnum ex paſſeribus immolari iubebit in vaſe fictili ſuper aquas viuentes: alium autem viuum cum ligno cedrino, & cocco & hyſſopo tinget in ſanguine paſſeris immolati, quo aſperget illum qui mundatus eſt, ſepties, vt iure purgetur, & dimittet paſſerem viuum, vt in agrum auolet.*

*Sacrificiũ leproſi.*

Duplex ratio offerendi muneris iudicatur, ſic dicit. *In teſtimonium illis*, apud Lucam & Marcum additur, pro emundatione tua. *In teſtimoniũ illis, in teſtimonium, in redargutionem, accuſationem & documentum, ſi peruerſæ vellent eſſe ſententiæ*, ait Chryſoſtomus. *Ipſum in teſtimonium*; multique alii nudum ſenſum ſequuntur, interpretatur noſter Sa, aliique, vt ſit teſtimonium poteſtatis meæ, vel me non eſſe legis euerſorem, vel potius vt ipſi ſint teſtes, te vere ſanatum eſſe. Ita Chryſoſt. alii putant non agi de teſtimonio miraculi facti, vel ſeruatæ à Chriſto legis. Nam Lucas & Marcus oſtendunt, non eſſe ita connectenda, vt dicamus, offerri munus in teſtimoniũ illis quod præcepit Moſes: Verum eſſe ſenſum, offer munus, quod munus offerri Moſes præcepit illis in teſtimonium. Marcus habet, offer pro emundatione tua quæ præcepit Moſes in teſtimonium illis, Lucas καθὸς, quemadmodum. Vt Moſes præcepiſſe dicatur, munus offerre in teſtimonium illis. Moſes vero non præcepit offerri in teſtimonium poteſtatis Chriſti Domini. Hilarius certe can. 7. teſtimonium hoc ad Moſis præceptum refert: *præmium quoq; receptæ ſalutis qui purgatus eſt, Deo offerat; vt donum illud non ſit ex auibus, ſed vt homo ipſe à ſordibus peccati corporis emundatus, in ſacrificium Dei tranſeat: quia quod Moyſes in lege præceperit, teſtimonium ſit, non effectus.* Quod vero Piſcator, *teſtimonium contra ipſos* & vult datiuum αὐτοῖς reſpondere Hebreæ voci בהם & præpoſitionem ב valere, *contra*, idque probat ex Deut. 31. 46. 1. Reg. 8. q. 3. Reg. 2. 42. Pſalm. 5. 7. ab hoc loco alienum eſt. In Syro enim eſt לסהדותהון *leſabadutehun. In teſtimonium ipſorum*, vt etiam Iunius & Tremellius verterunt.

*In teſtimonium.*

§.2. Emundatio illa non erat à lepra; non enim niſi iam ſani ſacerdotem adibant; ſed mundatio legalis erat, quæ præcipitur Leuitici 14. 8. Vbi ſacrificium iam mundato præcipitur. *Cumq; lauerit homo veſtimenta ſua, radet omnes pilos corporis & lauabitur aqua: purificatuſque ingredietur caſtra, ita duntaxat, vt maneat extra tabernaculum ſuum ſeptem diebus, & die ſeptimo radat capillos capitis, barbamque & ſupercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rurſum veſtibus & corpore, die octauo aſſumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam abſque macula, & tres decimas ſimilæ in ſacrificium quæ conſperſa ſit oleo, & ſeorſum olei ſextarium.* Iam mundus caſtra ingreſſus erat, tamen ſacrificia, quæ à v. 1. ad 32. vſq; ſcribuntur offerenda erant. Verſu 14. dicitur, *qui mundatur*, cum tamen iam mundus eſſet, ſed de legali ſermo eſt, qua non modo mundus, ſed publice mundus & probatus Reipublicæ & ſacrorum eſſet particeps.

*Emundatio cærimonialis erat.*

*Confeſſio ex leproſis.*

## QVÆSTIO IV.

*An ex eo quod oſtendere iubetur ſe ſacerdoti, probetur confeſſio auricularis?*

§.1. ASſeuerat Calu. l. 3. 4. §. 4. Inſtit. & Beza nos id facere. Sed multo imprudentius Bullingerus in hunc locum, quem appono, vt genus calumniandi prudens lector agnoſcat. [Mirum ergo eſt, qua audacia auſint Papæ Apoſtoli, Monachi, huius loci præſidio docere confeſſionem illam auricularem ſuam diuina lege eſſe præceptam, cum hic nulla feratur lex de confeſſione peccatorum Eccleſiaſtica, ſed politica modo ordinario de inſpiciendis leproſis ſtabiliatur. Audax certe ſaltus eſt è politica lege in Eccleſiaſticam tranſilire: audacia eſt ingens pro politica Eccleſiaſticam reponere. Alibi quoque Sammaritanus leproſus non abiit ad ſacerdotes, ſed in itinere ſentiens ſe mundatum eſſe, redit ad Chriſtum,

ac pro

" ac pro accepto beneficio Chriſto agit gratias. Et
" quoniam huius fides eximie laudatur à Domino, vi-
" tuperandi non ſunt, qui præteritis ſacerdotibus, Chri-
" ſto confitentur peccata ſua, & huic ſolo omnem glo-
" riam tribuunt.] Nos vero nequaquam ex eo iudicio confeſſionem auricularem probamus; ſed multi Catholicorum, comparatione iſta, confeſſionis vſum exponunt. Quemadmodum enim veteri ſacerdotio cognitio & iudicium de lepra commiſſum eſt, ita in Nouo Teſtamento, cum poteſtate ligandi, & ſoluendi cognitio lepræ ſpiritalis ad ſacerdotes pertinet. Explicatio eſt à ſimili, non probatio contra contumaces. A Domino ergo in ſpiritalem lepram conceſſa eſt poteſtas. Ita Theodoretus lib. de ſacrificiis. ὥσπερ τὴν λέπραν ὁ ἱερεὺς διακρίνει, οὕτω χρὴ τῆς ψυχῆς ἁμαρτημάτων εἶναι κριτήν. *Quemadmodum,* (in lege Moſis ſcilicet) *ſacerdos lepram diſcernit, ita ſacerdotem de peccatis oportet eſſe iudicem.*

*Legi ciuili ſimilis lex Eccleſiaſtica.*

Itaque iam olim vſitatum erat confiteri, nec ex lege politica legem Eccleſiaſticam ſtatuimus: Nam etſi illa lex de leproſis, vt magnam partem Eccleſiaſtica fuit, ita tota Eccleſiaſtica fuiſſet, non tamen inde conficeremus Eccleſiaſticam nouæ legis. Sed ſiue politica, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue miſta fuerit, ſimilitudine poteſtatis inde oſtendimus. Similitudo autem ex natura ſua declarat, non probat, niſi aliunde auctoritatem capiat.

*Sub nomine Monachorum vetuſtis maledicit.*

§. 2. Vt vero intelligat, quam atrociter viris ſanctis nomine Monachorum maledicat. Pauca veterum citabo, vt videat, quorum cauſam oppugnet. Cyprian. Serm. 5. de lapſis. Auguſtin. cap. 4. de vera & falſa pœnitentia. Cyrillus Alexandrinus lib. 17. in Ioan. cap. 5. Athanaſ. hom. Ite in caſtellum. Chryſoſt. hom. de ieiunio. Hermias lib. 1. de hiſtoria Eccleſiaſtica. Clemens Roman. conſtit. Apoſt. libro 2. c. 84. Τοὺς ἱερεῖς τοὺς τῶν ἁμαρτιῶν λύσαντας ὑμᾶς, οἱ παρὰ τοῦ θεοῦ ζωῆς, καὶ θανάτου ἐξουσίαν εἰλήφασι, ἐν τῷ δικάζειν τοὺς ἡμαρτηκότας, καὶ λύειν ἁμαρτιῶν τοὺς ἐπιστρέφοντας. *Sacerdotes qui vos peccatis ſoluerunt, à Deo vitæ & mortis acceperunt poteſtatem, dum iudicant peccatores, & abſoluunt conuerſos.*

*Sacerdos iudex de peccatis.*

Tantæ antiquitatis eſt id quod calumnia Monachis quaſi inuentoribus intentat. Quanta eſt porro audacia in tanta luce vetuſtatis, & copia librorum, tam ſine verecundia mentiri? Nos potius Gregorium Nazianzenum audiamus.

Χρῆζον δὲ παθέεσσιν ἀκέστορος ἢν κατακεύθῃς
Οὔποτε σηπεδόνα φεύξεαι ἀργαλέην.

*Peccata nõ celanda.*

*Cum pro morbis medici indigeas, non euades non euitabis exitioſam putredinem, ſi celaueris.*

Iudicandum igitur eſt, ac proinde cognoſcendum. Scitum eſt enim illud grauis Poetæ

*Si iudicas, cognoſce.*

Morbidam pecudem repellere iubentur ſacerdotes, ne pars ſincera trahatur. Vmbra noſtræ poteſtatis eſt, quæ erat apud Iudæos. Num. 5. Eiice leproſum de caſtris. Clemens l. 2. cap. 37. conſtitut. Apoſtolic. Καθάπερ ἀργυρονόμοι τὰ φαῦλα τῶν νομισμάτων ἀποκρίνουσι, τὰ δὲ δόκιμα οἰκειοῦνται, οὕτω καὶ τὸν ἐπίσκοπον τὰ μὲν ἄμωμα κατέχειν, τὰ δὲ ἐπίμωμα ἢ ἀνιάτως νοσοῦντα ἀπορ-
" ρίζειν: *id eſt,* [vt argentarii adulterinos nummos ex-
" cernunt, probos admittunt, ita Epiſcopum oportet,
" eos, qui labe carent, retinere, eos, qui vitioſi ſunt, aut
" curare, aut ſi morbus immedicabilis eſt, abiicere.]

Atque ad calumniam ex huius ſcripturæ deprauatione contextam ſufficiant.

## VERSVS 5.

*Cum autem introiſſet Capharnaum, acceſsit ad eum centurio, rogans eum & dicens, Domine puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur.*

## QVÆSTIO I.

*An centurio acceſſerit?*

Euangel... concilia...

§. 1. APparens pugna inter Euangeliſtas per S. Hieronymum, & Auguſtinum conciliata fuit. Apud Lucam per ſeniores Iudæorum accedit. Quod vero per amicos fecit, per ſe feciſſe viſus eſt. Nec improbabilis eſſet eorum ſententia, qui hunc, & illum cuius eſt mentio apud Lucam diuerſos arbitrantur: etſi enim omnia paria quodammodo ſunt: nihil tamen mirum duos centuriones, quorum vterque habeat famulum paralyticum, vtrumque humilem & pium, vſum eadem oratione; quin imo potuit vnus exemplo alterius vſurpare eadem verba. Quia tamen eodem tempore & loco factum vtrumque refertur, non iudico pro diuerſis eſſe habendos, olim obiectum à multis teſtatur Auguſtinus lib. 33. contra Fauſtum. *Illud poteſt ſane & requiri inter fideles, & obiici ab infidelibus ſolet, ſed etiam ipſis vel parum eruditis, vel nimis contentioſis niſi admoniti reſipuerint, quod Matthæus dixit, acceſſit ad eum centurio, rogans eum, & dicens.* *Lucas autem quod miſerat ad eum ſeniores Iudæorum, hoc ipſum rogantes de puero eius qui ægrotabat, vt eum ſanaret: Et cum appropinquaret domum, miſerit alios per quos diceret, non eſſe ſe dignum in cuius domum intraret Ieſus, nec ſeipſum dignum, vt veniret ad Ieſum. Quomodo ergo ſecundum Matthæum, acceſſit ad eum rogans & dicens, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur? hoc ergo intelligitur Matthæum breuiter ſententiam ipſam plenam, integramque complexum, dicentem quod centurio acceſſerit ad Ieſum, & non dicentem, vtrum per ſeipſum acceſſerit, an per alios: & quod ei de puero ſuo illud dixit, non exprimentem vtrum per ſeipſum dixerit an per alios. Quid enim? nonne talibus locutionibus humana plena eſt conſuetudo, cum dicimus aliquem ad aliquid multum acceſſiſſe, etiam quem, nondum dicimus perueniſſe? Nonne & ipſam peruentionem, cui quaſi videtur non eſſe quod addi iam poſſit, etiam per alios fieri vſitatiſſime loquimur ſæpe dicendo. Egit ille cauſam ſuam, peruenit ad iudicem, aut peruenit ad illum vel illum potentem; cum plerumque faciat per amicos non viſo eo prorſus, ad quem quiſque dicitur perueniſſe? Vnde etiam tales homines quicunque ad potentium quodammodo inacceſſibiles animos, ſiue per ſe ipſos, ſiue per alios ambitionis arte pertingunt, iam etiam vulgo peruentores vocantur. Quid ergo, cum legimus, obliuiſcimur quemadmodum loqui ſoleamus? an ſcriptura Dei aliter nobiſcum fuerat, quam noſtro more locutura?* Similia habet lib. 2. c. 20. de conſenſu Euangeliſtarum. S. Chryſoſtomus ab adulantibus Iudæis perſuaſum illi putat, ne iret, ſe Chriſtum adducturos, non dubito, quin homini diuiti potentique vultures illi adulati ſint, cauſa tamen non veniendi fuit ipſius humilitas, credidero tamen audito Ieſum aduenire, obuiam iuiſſe honoris cauſa.

## QVÆSTIO I.

*Quis centurio?*

§. 1. GRæce habetur, εἰσελθόντι δὲ αὐτῷ εἰς καπερναοὺμ προσῆλθεν αὐτῷ. *Ingreſſus enim Capharnaum acceſſit ipſum.* Vbi repetitionem illam, qua ſecundo loco ponitur αὐτῷ, Lucas Brugenſ. putat pleonaſmum Hebræum eſſe, non autem legendum εἰσελθόντος αὐτοῦ. Syrus habet: *cum autem intraſſet Ieſus Capharnaum acceſſit ad eum centurio.* Non neceſſario Ethnicus centurio fuit; vt nonnulli ſunt arbitrati: Nam in militiam Romanam Iudæi adſcribebantur, quemadmodum & cæteræ

cæteræ gentes, ex quibus delectus habebantur. Quod ſi Paulus erat ciuis Romanus, cur non Iudæus alius, centurio? potuit igitur eſſe centurio, vel Iudæus, vel proſelytus, quamuis ex verſ. 10. & Luc. 7. 3. ſatis conſtare videtur, Iudæum non fuiſſe.

## QVÆSTIO I.

### *An ex eo, quod Seniores pro centurione intercedunt, colligatur ſanctos pro nobis intercedere?*

*Centurio interceſſione petita nõ peccauit.*

§. 1. PRimo certum eſt, centurionem rogantem ſeniores, vt cauſam ſuam apud Chriſtum agerent, nec Deo, nec Chriſto contumeliam vllam intuliſſe, quaſi vel contemneret, vel nimiam numinis aſperitatem veritus, ad ſeniores velut mitiores confugeret. Nam eadem omnia nobis pro inuicem orantibus orationeſque fratrum petentibus obiici poſſent. Tu hominis vim interceſſionem, deprecationem, patrocinium poſtulas, & neſcis Deum infinities illo magis miſericordem eſſe? an hominis peccatoris oratio peccatrix te adiuuare poterit? Hæc ergo, ſimiliaque de precibus viuentium obiici poſſunt. Deinde etiam de precibus angelorum pro nobis, nõ ergo ſunt obiicienda de precibus ſanctorum cum Chriſto regnantium quos contemptim mortuos hæretici in peccatis ſuis mortui appellant.

*Viui pro viuis orant.*

§. 2. Si ergo viuentes pro viuentibus orant, orant igitur & in domino mortui, ideoque Domino viuentes. Poſſunt, quia Deum vident præſentes, & ab eo amantur. Volunt, quia nos diligunt. Caritatem enim beatitudo non minuit, ſed auxit, hoc ipſo quod tutam fecit.

§. 3. Antiquæ veritati ſeſe multi hoc loco, ſed imprimis Toſſanus opponit. [Male confunditur, *inquit*, ſtatus ille vitæ futuræ cum ſtatu præſente, & ἐνέργεια charitatis perpetuæ cum temporaria. In illa vita vt nullus eſt dolor aut gemitus, ſed perpetua quies: nec ingemiſcunt ſancti, nec compatiuntur vt in his terris: licet charitatis ἐνέργεια illa maneat quod nobis bene volunt, & optant nos ſecum colligi in illam beatitudinem: toti tamen feruntur ad Dei contemplationem & laudem: nec vident angores noſtros, nec occupati ſunt ſolicitudinibus, vt hic patres familias ſolliciti ſunt de familiis: quæ ſolicitudo & mutua conſolatio & interceſſio propria eſt hui⁹ vitæ, mandatumq; habet in ſcriptura. Conſulere autem mortuos prohibitum Eſai. 8. 19. Nec Chriſtus hoc loco aliquid dedit interceſſioni Iudæorum, ſed fidei potius centurionis.]

*Diuerſitas ſanctorum hic & in cælo degentiũ.*

Reſpondeo. Non confundi à nobis beatorum in æterna, & laborantium in temporaria vita ſtatum. Nec ſequitur eos, ſi non ingemiſcunt, non compatiantur, non etiam noſtram cauſam agere. manet ἐνέργεια ſeu charitatis efficacia, ſine amantium dolore, & angore. Bene nobis volunt, hoc eſt amant, & caritatem ſuam ocioſam eſſe nolunt. Toti feruntur in laudem Dei, eumque laudando contemplandoque pro fratribus deprecantur. Vident angores noſtros, quando, & quot, & quantum Deus oſtenderit, & audiunt quotidie à venientibus à nobis ad ipſos, & ab angelis miniſtris ac internunciis; norunt inquam noſtra aliqua, qui etiam impiorum tormenta & fumum aſcendentem, in ſeculum ſeculi intuentur. Non ſunt quidem ſolliciti, cura angente, & affligente, ſed tamen caritate diligente bona nobis expoſcunt.

*Sancti noſtra curant ſine angore.*

*Hæreſes contra ſanctorum inuocationem.*

§. 4. Porro in hoc Toſſani diſcurſu tot ſunt hæreſes, quot ſententiæ. 1. ſtatuit oportere eſſe in illis gemitum & dolorem, ſi intercedant; cum tamen & Chriſtus interpellet, & angeli ſine dolore. 2. Ad interceſſionem arbitratur neceſſarium, ne toti in contemplationem Dei ferantur, & laudem. Sic enim argumentatur. *Toti feruntur in contemplationem Dei & laudem, non igitur pro nobis orant.* Quod axioma hæreticum eſt: Conſequitur enim nec Chriſtum, nec angelos, dum ille mundum gubernat, hi ſeruiunt in ſalutem electorum, totos in contemplationem & laudem Dei ferri. 3. Exiſtimat eos ſine ſollicitudine humanas res curare non poſſe, quod eodem modo de angelis diceretur. Quomodo conſulere mortuos vetitum ſit Iſa. 8. 19. dicam ſuo loco. Chriſtum aliquid tribuiſſe interceſſioni Iudæorum verba declarant, cum ait, ego veniam, & curabo eum. Et quomodo illi definiunt nihil Iudæis illis tributum, cum id ſcriptura non neget; & ipſi ſe abſque ſcriptura nihil aſſerere iactent? Habebat ille fidem, cui dedit hoc Chriſtus, ſed habebant & fidem deprecatores ſeniores: rogabant enim vt vellet, poſſe certo credebant. Maior erat fides centurionis, ſed tamen etiam eos qui minore fide orabant exaudit Chriſtus. Nam paulo poſt in tempeſtate τοὺς ὀλιγοπίστους exaudiuit, fidem pro aliis aliquid impetrare omnes conſentiunt; itaque ſi fidelis pro infideli beneficium impetrat, cur non & pro fideli? nec impedit fides eius cui aliquid impetrandum eſt, ſed adiuuat, eoque magis quo maior eſt. Chriſtiani pro Paulo orabant, at quis eorum fidem ſuam fidei Paulinæ conferre, nedum præferre auderet? Nam etiam infirma fides viua eſt.

*Interceßioni Iudæorũ aliquid tributum.*

§. 5. *At noſtra non norunt*, inquit. Quid nunc de notitia ſanctorum, quam de rebus noſtris habent, ſentiant aduerſarii, non eſt omnino certum. Matthæus Scladus in appendice diſceptationis Scholaſticæ cum Conrado Vorſtio, ei obiicit quod *ſentiat animas defunctorum cum corporibus obdormire*. Rationem reddit; quia negat illos res noſtras curare. *In ſpecie* ſcilicet *& diſtincte*, vt habet diſp. 3. de cauſa deſert. Papatus theſi 15. Dubitat vero in defenſione Vorſtius, an nobiſcum Scladus ſentiat. Interim hanc ſententiam Scladus in Vorſtio exagitat & conſequenter in Caluino lib. 3. inſt. c. 20. §. 23. & 24. Aretio de ſanctis in locis comm. Bullingero de origine errorum c. 15.

*De παννυχίᾳ animarum.*

Hoc ſaltem hinc euincimus, ſanctos generatim res noſtras curare, ideoque generatim ſaltem orare pro rebus noſtris. Nam curare res alterius, & non etiam ei proponere cuius in poteſtate ſunt, non eſt eorum qui magna flagrant caritate.

## VERSVS 6.

### *Et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus: Ego veniam & curabo eum.*

## QVÆSTIO I.

### *Quis morbus?*

§. 1. ΠΑραλυτικὸς, paralyticus vocatur, & male dicitur torqueri. δεινῶς βασανιζόμενος, mira igitur & ſubita fuit; nam ordinaria caret tormento: Galen. παράλυσις ἐστὶ πάθος βλάπτον τὴν προαιρετικὴν κίνησιν, περὶ μέρεσιν, ἢ ἐν μέρει γινόμενον, παθόντων τῶν νεύρων καὶ τῶν μυῶν. Initium quidẽ ſolet eſſe cum tormento, ſed ſenſim obſtupeſcentibus neruis, dolor euaneſcit, motrix facultas impeditur tantummodo.

*Paralyſis.*

§. 2. Puerum vocat ſeruum, morbi grauitatem indicat verbo βέβληται *proiectus eſt*, ſic & Socrum Petri ait βεβλημένην *proiectam*. Virg. *ſternitur & toto proiectus corpore terræ.* Noſter eleganter vſus verbo iacendi; imperite reprehenditur, peius corrigitur. Verbum enim illud vſurpatur pro illis, qui abiecti ſunt, & proſtrati, ſumptum à gladiatoribus, inde etiam iacere dicuntur, qui opibus aut dignitate deiecti, in luctu & ſqualore verſantur. *Totus iacet*, inquit Tullius &c.

VER-

## VERSVS 8.

*Et reſpondens centurio, ait: Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.*

### QVÆSTIO I.

*Quomodo non erat dignus vt intraret ſub tectum?*

*Lectio conſtituta.* §.1. IAm videtur audiſſe leproſum ſanatum verbo; itaque tantum rogat, vt verbo dicat, iubeat, velit; fore ſanum famulum. εἶπε λόγῳ, *dic verbo*, alia exemplaria εἶπε λόγον, *dic verbum*. Brugenſis teſtatur multos habere, λόγον, octo Pariſienſium, alioſque λόγῳ, omnes apud Lucam habent λόγῳ, ita & Syrus אמר במלתא *Amar bemelletha, dic in verbo*. Dignum ſe negat, ἱκανὸν, hoc eſt, idoneum, vel ſufficientem, qui Chriſtum domo excipiat.

§.2. Reuera dignus non erat; ſed hæc cognitio ſui, cuiuſque humilitas eſt; vt peccatores nos eſſe ſciamus. Auguſtin. Serm. 6. de verbis Domini. *Audiuimus cum Euangelium legeretur, fidem noſtram in humilitate laudari. Ad domum quippe centurionis cum ſe promitteret Dominus Ieſus iturum vt puerum eius ſanaret, ille reſpondit: Non ſum dignus, vt ſub tectum meum intres; ſed tantum dic verbo, & ſanabitur. Dicendo ſe indignum, præſtitit dignum, non in cuius parietes, ſed in cuius cor Chriſtus intraret. Neque enim hoc diceret, cum tanta fide & humilitate: niſi illum, quem timebat intrare in domum ſuam, corde geſtaret. Nam non erat magna felicitas, ſi Dominus Ieſus intraret in parietes eius, & non eſſet in pectore eius. Magiſter quippe humilitatis & verbo & exemplo, diſcubuit & in domo cuiuſdam Phariſæi ſuperbi, nomine Simonis. Et cum in domo eius recumberet, non erat in corde eius, vbi caput filius hominis reclinaret.* Dignitas autem quæcunque in creatura eſſe poteſt, à ſolo creatore eſt. Interim hic quoque apparet centurionem Chriſti diuinitatem crediſſe. Diuinam potentiam itaque Chriſto adſcribit, dum ei vitæ & necis arbitrium tribuit. Vni verbo ſanitatem acceptam refert. Quod niſi Chriſtus ſuam poteſtatem diuinam aſſeri voluiſſet, ſine dubio reclamaſſet, & in Deum totam operis laudem retuliſſet, ſibi nihil adſcripſiſſet, vt Actor. 14. Paulus & Barnabas fecerunt.

*Humilitate fit dignus, qui non eſt virtute.*

## VERSVS 9.

*Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic: Vade, & vadit; & alii, veni & venit; & ſeruo meo fac hoc, & facit.*

### QVÆSTIO I.

*Quid illa excuſatione centurio indicare voluit?*

§.1. OStendere conatur non opus eſſe præſentia redemptoris. Nam ſi ego ſub aliena poteſtate conſtitutus, ſolo tamen verbo multa facio; nam milites obediunt & imperata exequuntur abſentis, quanto magis tu omnia poteris? cedet morbus tuo etiam abſentis imperio. Ita S. Auguſtin. l. . Sermone in monte. Fuit quædam in lectione diuerſitas, Beza legit, vt refert Maldon. ἐπ᾽ ἐξουσίαν, *in poteſtate*, vel *ſuper poteſtatem*, ſed editione poſteriori correxit, & ait ὑπεξούσιον vocari, qui ſcilicet eſt ſub aliena poteſtate: Syrus דתחית שולטנא *dethchet ſchultana*, quod noſter interpres charitatis cauſa addidit, *conſtitutus*, ex Luca ſumptum eſt, qui habet τεταγμένος.

*Centurio alteri ſubditus operabatur abſens.*

§.2. Nam & ego. Beza *deprauari ſententiam illa* verſione putat, *non enim à pari argumentatur plenus fidei.* Hoc vero eſt nodum in ſcirpo quærere. Tam enim à minore ad maius argumentum eſt, cum dicit: *Nam & ego*, quam ſi dicat: *Etenim ego.* Vtraque locutione cauſa redditur; cur Chriſtus maior poſſit abſens verbo, cum ipſe multis modis minor nonnulla ſic peragat. Nec probo quod Franciſcus Lucas ait. [Ratio iſta non ita perſpicua eſt, dum iuxta noſtram editionem legitur, Nam & ego, quamuis ita complures alii transferant, etiam Syrus ipſe אף אנא גבר *aph ana ger*, niſi hoc aut ſimili modo intelligas: Nam & ego homo licet ſim ſub alterius poteſtate, tamen quia habeo ſub me alios, multa ſolo iuſſu perficio. vt poſt illud: Nam & ego, comma fiat; referaturque illud, non ad proximum homo ſum ſub poteſtate, ſed ad iſtud, ſecundum rem, dico huic vade, & vadit; & alio &c. tametſi coniunctio intercedat.] Clariſſima eſt enim. Tu abſens poteris: nam & ego ſub aliena poteſtate conſtitutus ſum, & dico huic vade, & vadit; eadem ſane in græco & Syro eſt ratio. Auguſtin. ſane intellexit: *Si ego homo ſub poteſtate, iubendi habeo poteſtatem, quid tu non poſſes, cui omnes ſeruiunt poteſtates?* Militiam probari illa ſententia demonſtrat Auguſtinus lib. 22. c. 74. contra Fauſtum Manichæum. *Eius fidem laudat, deſertionem militiæ non imperat.*

## VERSVS 10.

*Audiens autem Ieſus miratus eſt, & dixit.*

### QVÆSTIO I.

*Quomodo miratus eſt?*

§.1. MAnichæi hinc docebant, Chriſtum quædam ignoraſſe. Miratio eſt enim rerum quæ inopinatò accidunt, quarum cauſæ ignorantur. Hunc in modum quidem homines mirantur, dum ignorant, dum noua putant, & inſolita. Deus autem miratur, & iraſcitur, dum in modum mirantis agit, aut irati, dum oſtendit rem magnam eſſe, & miram hominibus. Ita Auguſtinus; mirando laudant. Nec ſic locutus fuiſſet centurio, niſi cor eius intraſſet Chriſtus, qui nolebat, Chriſtum tectum ſuum ſubire.

Reſpondet Auguſtin. de Geneſi contra Manich. lib. 11. *Vidit ergo Deus lucem, quia bona eſt: quibus verbis non oſtenditur eluxiſſe Deo inſolitum bonum, ſed placuiſſe perfectum. Quod ſi dictum eſſet, miratus eſt Deus lucem, quia bona eſt, quantum clamarent? quantum litigarent? Admiratio enim reuera de rebus inſperatis naſci ſolet, & tamen legunt iſti, & laudant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in Euangelio admiratum eſſe fidem credentium. Quis autem in illis fecerat ipſam fidem, niſi ipſe qui eam mirabatur? Quod ſi & alius eam feciſſet, vt quid miraretur qui præſcius erat? Si ſoluunt Manichæi quæſtionem iſtam, videant quia & illa ſolui poteſt. Si autem non ſoluunt, quid iſta reprehendunt, quæ ad ſe nolunt pertinere, cum illa quæ ad ſe pertinere dicunt, non nouerint? Quod enim mirabatur Dominus noſter, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc eſt opus ſic moueri. Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi ſunt ſigna, ſed docentis Magiſtri.* Sic ſunt & verba veteris Teſtamenti, *quæ non Deum infirmum docent, ſed noſtræ infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici poteſt. Nobis tamen vt nutriatur fides, & ad ea perueniamus, quæ nullo humano ſermone dici poſſunt, ea dicuntur quæ capere poſſumus.*

QVÆ-

## QVÆSTIO II.

*Quæ fides centurionis?*

§.1. QVædam exemplaria Græca apud Eraſmum, & Lucam Brugenſem ita habent, Καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτοῦ ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, καὶ ὑποστρέψας ὁ ἑκατόνταρχος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ εὗρε τὸν παῖδα ὑγιαίνοντα, quæ videntur ex Luca in hunc locum tranſlata. Effectus igitur fidei oſtenditur; nam in ipſa hora, ſeu temporis articulo ſanatus eſt, vt eſt in Syro, vide Dan. 4.30. hæc eſt enim בשעתא beſchaghatha, quod indicat ipſum rei gerendæ momentum.

*Fides centurionis nō fuit fiducia.*

Nec de fide dubitare fas eſt, quænam illa fuerit, cum dicat expreſſe: *fiat tibi ſicut credidiſti.* Crediderat ergo poſſe puerum ſanari, idque conſecutus eſt. hinc apparet, centurionem obuiam veniſſe, cū omnino audiret Ieſum ad ſe venire; itaque fides illa alteri profuit, nec fuit præſumptio de ſalute.

§.2. Hæretici fiduciam interpretantur. Bollingerus crediſiſſe eum dominum ſanare poſſe, & velle; atque hanc fidem ita deprædicat, vt veram efficere, & iuſtificantem arbitretur. Verba eius ita habent. [Pauculis, ſed iis euidentiſſimis exponit efficaciam, virtutemque fidei. Efficit fides vt quod ſecundum verbum Dei credimus, hoc diuina potentia operante accipiamus, credidit centurio dominum poſſe, & velle ſanare miniſtrum ſuum decumbentem; Dominus ergo ſanauit ipſum; itaque fides ſuum habuit effectum. Sequitur enim; illa ipſa hora ſanatus eſt famulus eius. Proinde ſi credas te iuſtificandum ſanguine filii Dei, iuſtificaberis protinus. Verbum enim Dei dicit. Qui crediderit in filium Dei, iuſtificabitur. ſi credideris Deum illum optimum maximum fore Deum tuum, qui te purget ab omnibus peccatis tuis, liberet ab omni malo, exaudiat in quauis neceſſitate: breuiter qui ſit futurus pater, rex, protector, copiæ cornu, & aſylum tutiſſimum, tum firmiſſimum, eueniet tibi certo quod credis. Nam ſecundum verbum Dei credis & verbi Dei ſenſum catholicum ac genuinum tenes. In verbo enim Domini huius generis infinitæ reperiuntur promiſſiones, ac ſeſe ſubinde clarius exponunt.]

*Tum demum illæ certa ſunt, cum Deus reuelauit.*

Clara res, ſi abſit contentio. Centurio ſe Chriſti conſpectu credebat indignum, eum ſolo verbo abſentem ſanare poſſe credebat; vt vellet Iudæis deprecatoribus vtebatur, & ipſe orabat, quia velle ſperabat. Non quia velle credebat. Effectus fidei fuit, ſed per ſpem & caritatem operantis. Nec centurioni in mentem venit, ſibi ſua peccata quæ faceret, aut facere vellet, non imputari: nec huius fiduciæ effectus erat famuli ſanitas.

*Caluinō non eſt ſi- de centurionis fiducia.*

Caluinus etiam l.3.inſtit.c.2.§.13. Non audet hanc centurionis fidem ad fiduciam ſuam reuocare. [Contra ad particulare, *inquit*, aliquod obiectum aliquando reſtringitur. ſicuti cum dicit Matthæus Chriſtum fidem eorum vidiſſe, qui per tegulas paralyticum demiſerant: & ipſe clamat ſe non inueniſſe tantam fidem in Iſrael quantam centurio attulerat. Atqui probabile eſt intentum prorſus fuiſſe ad filii ſanationem, cuius cura occupauerat totum eius animum. Sed quia ſolo Chriſti nutu & reſponſo contentus corporalem præſentiam non flagitat, huius circumſtantiæ cauſa tantopere extollitur eius fides. Et nuper docuimus Paulum accipere fidem pro dono miraculorum, quo pollent qui nec Spiritu Dei ſunt regeniti, nec eum ſerio colunt.] Quo tætrior eſt recentiorum Caluinianorum Parei, & aliorum fraudulentia, qui hanc centurionis fidem pro ſtabilienda fiducia præſumptuoſa adducunt.

Contra ſuos ergo Pareus agit de iuſtificat. l.1.c.4. & 6. cum hanc fidem fiduciam definit, qua quiſpiam certus eſt de ſalute. Contra eum ſtat Beza cum Caluino; ἄεστα ἡρώων, *flores heroum*, vt ipſi putant.

*Caluiniani prudentiores à veterum ſtoiciſmo recedunt.*

§.3. Multo ſapientiores illi, qui à tanta confidentia receſſerunt, vt initium ſalutis adirent, vt doctiſſimus Bertius vt Caſpar Berlæus *in Bogermanno* ἐλεγχομένῳ, *redarguto.* Teſtatur enim eos qui ſobrii ſunt & pii hanc præſumptionem fugere. *Deinde*, inquit, *an ſalutis ſuæ fecerit iacturam Chriſtianus, aut indecorem ſe Chriſto ſeruum præſtabit, qui ad inconditionatam illam fidei ſemper perſeueraturæ certitudinem malit* ἐπέχειν, *quam præfidenter de ſe præſumere?* Vbi negando, interrogando, reprehendit ipſo modo interrogationis fiduciariorum præfidentiam.

*Pietatem orantis non neceſſariam putant.*

§.4. Multo etiam eſt deteſtabilior argumentatio Wolffgang Muſculi. [Quod non dicit, fiat tibi ſecundum iuſtitiam tuam, vel probitatem tuam: ſed ſicut credidiſti: hoc eſt, ſecundum fidem tuam. Nec dicit, ſicut rogaſti: ſed ſicut credidiſti: admonemur in precationibus piorum nō attendi à Deo tam iuſtitiam & probitatem precantis, quam fiduciam. Aut certe ſi aliqua iuſtitia ad hoc quæritur, vt orans à Deo exaudiatur, fidem eſſe illam iuſtitiam, quæ quæritur.]

Futilis ratio: *fiat tibi ſicut credidiſti, ergo Deus non recipit probitatem orantis, ſed fiduciam.* Hic enim multa obſtant conſequentiæ. Nec enim hic de ſpeciali fiducia agitur, vt ex Caluino etiam conſtat. Nec illa fiducia alteri, ſed cuiuſque propriorum peccatorum remiſſioni conducit. Iuſtitia vero centurionis non erat ſola fides, ſed inſignis caritas, humilitas, munificentia. Non ergo Deum talem habemus, qualem illi fidem habemus, ſed qualia opera præſtamus.

*Centurionis non ſola fides exornauit.*

Fidei vt radici arbor, & fructus tribuitur Cyp.Ep.9. Chriſtus dat credentibus tantum quantum credit ſe capere, quia ſine iuſtitia orantibus dicitur: *diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.*

Philippus Melanchthon praua interpoſitione verba Chriſti: *fiat tibi ſicut credidiſti*, peruertit. [Quod hic, *inquit*, pro famulo ſolicitus eſt, in eo obſerua, alienam fidem pro hominibus valere & efficacem eſſe. Sic hodie aliena fides ſatis facit in baptizandis pueris. Quod dicit, Ego ſum homo, &c. Comparatio eſt & argumentum à minori. Siquidem ego poſſum verbo efficere, quod volo apud meos, quanto magis tu? quaſi dicat; quomodo facit, vt iubeo, ſeruus meus, ita quæ tu iuſſeris, omnis creatura.]

*Infantes gratia infuſa iuſtificantur.*

Nequaquam infantes fide parentum iuſtificantur, ſed fide & gratia infuſa, qua Deus peccatum originale excludit: nec enim repugnat minutæ ætatulæ habitus gratiæ, cui omnes concedunt ineſſe peccatum ante baptiſmum: cur autem inſit delictum, non poſſit ineſſe remedium delicti?

§.5. Maiorem fidem in Baptiſta, Simeone, aliiſque inuenit; de populo itaq; & auditoribus loquitur; ſuos illos peculiares excipit. Fatetur etiam Aretius, Abrahami, Iſaci, Iacobi fidem maiorem fuiſſe. Quod ſignum eſt etiam aduerſariis concedentibus, generales propoſitiones pro rerum circumſtantia intelligendas. Caluinus certe B. virginem excipit. [Dictum eſt ſecundum quid non ſimpliciter. nam ſi colligimus omnes fidei partes, ſaltem in eo præcelluit Mariæ fides quod ſe ex Spiritu ſancto fore grauidam credidit, vt filium Dei vnigenitum pareret. Deinde quod filium ex ſe natum amplexa eſt tanquam factorem ſuum, mundique totius opificem & vnicum Redemptorem. Sed duas maxime ob cauſas Chriſtus fidem hominis gentilis prætulit omnium Iudæorum fidei: nempe quod ex modico & tenui doctrinæ guſtu tantus ac tam repente fructus ſe proferret. Neque enim hoc vulgare fuit, Dei virtutem, quæ tantum ſcintillas quaſdam iacere in Chriſto cœperat, tam magnifice prædicare. Deinde cum Iudæi plus æquo externis ſignis intenti forent: hic homo gentilis nullū requirit viſibile ſymbolum, ſed nudum verbū ſibi ſufficere teſtatur. Venturus

*Mariæ fides maior quam cēturionis.*

,, turus ad eum erat Chriſtus, non quod opus eſſet, ſed ,, vt hanc eius fidem probaret. Quare hoc p æſertim nomine ipſam commendat, quod acquieſcat in nudo ,, verbo.]

Hic ſi neceſſario B. Virginem excipit, in qua Chriſtus maiorem fidem inuenit, cur non eandem à conditione peccati contrahendi, à concupiſcentia pari modo excipiendam iudicat?

## VERSVS 11.

### *Dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham & Iſaac, & Iacob in regno cœlorum.*

### QVÆSTIO I.

*An Eccleſiæ vniuerſitas hinc probetur?*

*Eccleſia vniuerſalis.* NEc nouum aut inuſitatum aliquid à nobis agitur, cum hinc Eccleſiæ multitudinem, & catholicam diffuſionem probamus. Auguſtinus contra Donatiſtas frequentiſſime ex hoc loco iam olim tractauit, vt oſtenderet, non in ſolo Africæ angulo Eccleſiam eſſe. Vide Serm. 6. de verb. Domini.

## VERSVS 12.

### *Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores.*

### QVÆSTIO I.

*Qui filii regni, & tenebræ exteriores?*

§. 1. Filios regni appellat eos, qui ad regnum vocati, promiſſionem habuerunt, quibus omnia ita collata ſunt, vt per ipſos ſolos ſteterit, cur depellerentur, eorum videbatur hæreditas Rom. 9. 4. *quorum adoptio filiorum,* υἱοθεσία *gloria & Teſtamentum.* Vbi ergo peregrini ἀνακληθήσονται ἐν τῇ βασιλείᾳ, ſiue vt legunt Chryſ. & Euthym. ἐν τοῖς κόλποις ἀβραάμ, in ſinubus Abraham. Inepte omnino filios regios Caſtalio appellat.

*Tenebræ exteriores.* §. 2. Tenebræ exteriores luci internæ & domeſticæ, quæ in cœnaculo conuiuentium erat, opponitur. Nulla ergo extra regnum illud lux eſt, ſed tenebræ exteriores, nihil ſolatii, nihil non plenum ſuppliciis.

§. 3. Stridor dentium eſt dolentium, & indignantium, & dolores vtcunque mollire conantium, ſed irrito conatu, ſæuitia ſeipſam puniente. Similitudo ſumpta ex cænatione, in qua faces & lumina collucent; foris omnia tenebris inhorreſcunt. Inſignis locus contra atheos & irriſores, qui ſarcaſmos in pietatem exercitos, tam horribili dentium concuſſu luent.

### QVÆSTIO II.

*An hinc atheiſmus de duobus principiis refutetur?*

*Marcion Abrahamum & patriarchas damnabat.* §. 1. D. Irenæus aduerſus Hæreſes lib. cap. 18. *Deum Abrahami* & Patriarcharum vnum eundemq; cum Deo noui Teſtamenti hinc probat. *Vnus autem & Marcion, & qui ab eo, expellentes ab hæreditate Abraham, cui Spiritus per multos, iam autem & per Paulum teſtimonium reddidit: Quoniam credidit Deo, & deputatum eſt ei ad iuſtitiam: & Dominus primum quidem de lapidibus excitans filios ei, & faciens ſemen eius, quaſi ſtellas cæli, dicens. Quoniam venient ab oriente, & ab occidente, ab Aquilone, & Auſtro, & recumbent cum Abraham, & Iſaac & Iacob in regno cœlorum. Iterum dicens Iudæis: Cum videritis Abraham, & Iſaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei: vos autem proiici foras. Manifeſtum (eſt) ergo, quoniam qui contradicunt ſaluti eius, & alterum præter eum, qui promiſſionem fecerit Abrahæ, formant Deum, extra regnum Dei ſunt, & exhæredes, ſunt in corruptela, fruſtrantes, & blaſphemantes Deum, qui in regnum cœlorum introducit Abraham, & ſemen eius, quod eſt Eccleſia, per Chriſtum Ieſum, cui & adoptio redditur, & hæreditas quæ Abrahæ promiſſa eſt.*

§. 2. Eadem ratione Fauſtum Manichæum, Deum Patriarcharum, & ipſos Patriarchas accuſantem confutat Auguſtinus. Diſputatio eorum vtilis & auditu iucunda eſt.

[Fauſtus dixit: Scriptũ eſt in Euangelio, quia multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, & Iſaac & Iacob in regno cœlorum. Vos ergo quare non accipitis Patriarchas? Abſit nos quidem cuiquam inuidere mortalium, quem Deus forte miſeratione reſpiciens ſua, de perditione vnquam reduxerit ad ſalutem: ſed hoc ſane nos eius eſſe iam clementiæ ponimus, qui miſertus ſit non illius meriti, cuius fuiſſe negare non poſſis, improbabilem vitam, ac per hoc. Et Iudæorum Patres Abraham ſcilicet, & Iſaac & Iacob, ſi eſt hoc pro certo de iiſdem Chriſti teſtimonium, quod adfertis, quamquam fuerunt ipſi quidem flagitioſiſſimi, vt fere Moyſes indicat eorum pronepos, ſiue quis alius hiſtoriæ huius conditor eſt, quæ dicitur Geneſeos, qui eorum vitas nobis odio omni, faſtidioq; digniſſimas ſcripſit: Sint tamen & ipſi iam in regno cœlorum; ſint in loco, quem nec crediderant vnquam, nec ſperauerant, vt fere ex eorum liquido libris apparet: dummodo tamen conſtet vobis etiam confitentibus, longo interuallo de terra ac pœnali inferorũ cuſtodia, vbi ſe vitæ merito coercebant à Chriſto Domino noſtro liberatos, per eius ſcilicet myſticam paſſionem peruenire ad hoc ipſum potuiſſe, ſi peruenerunt, quod ſcriptum de eis eſt. Cui reſpondet Auguſtinus, quomodo in tuto miſer? quomodo in tuto, qui te Patriarchas odiſſe dicis impuros, & Deum adhuc plangis impurum? Certe illis Patriarchis poſt aduentum Saluatoris præſtitam purgationem, & datam beatam requiem conceſſiſti: Deus autem veſter & poſt aduentum Saluatoris, adhuc iacet in tenebris, adhuc flagitiis omnibus mergitur, adhuc in impuris omnibus volutatur: ita non ſolum vita illorum hominum melior erat Deo veſtro, verum etiam mors ipſa facilior. In quibus autem ſedibus erant iuſti, qui exierant ex hac vita priuſquam Chriſtus in carne veniſſet, & vtrum etiam ipſos ad aliquid melius paſſio Chriſti tranſtulerit, qui in eum venturum, paſſurum, reſurrecturum, non tantum crediderant, verum etiam hoc ipſum ſicut oportebat, prophetico ſpiritu prænuntiauerant in ſcripturis ſanctis indagandum eſt, ſi quo modo ad liquidum indagari poteſt, non hic temeritates opinantium conſectandæ quorumlibet hominum, nedum tam exſecrabilis hæreſis peruerſitate nimis longe à veritate aberrantium.]

Nequiores illi ſunt, qui hodie in Deum & abſolutam ab eo indictam neceſſitatem omnia reiiciunt. & tamen ſoli ſapere, ſoli religioſi ſibi & reformati videntur, quibus omnia τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται, *omnia inhoneſta honeſta videntur.*

## VERSVS 14.

### *Et cum veniſſet Ieſus in domum Petri vidit ſocrum eius iacentem, & febricitantem.*

### QVÆSTIO I.

*Vbi Petri ſocrus curata?*

§. 1. MArcus 1. v. 39. Lucas 4. 38. *Surgens autem Ieſus de Synagoga, introiuit in domum Simonis.* Marcus 1. *Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum*

Simo-

*Simonis & Andreæ.* Itaque non connectuntur ἀμέσως, quæ hic Matthæus recenſet, ſed quæ illis tamen diebus facta ſunt.

*Quomodo Apoſtoli omnia reliquerint.*

§.2. Nati ſunt è Bethſaida Ioan. 1. quæ erat vicina Capernaumo; vel ergo vtraque in vrbe domum habuerunt, vel eo tranſtulerunt. Verum id perinde eſt. hoc difficile viſum eſt: Petrum habere domum. Aretius Petrum omnia deſeruiſſe negat, *domum enim habuiſſe, neque enim vocationi domum repugnare.* Alii quoque hæretici; cum Chriſtum ſequerentur, rerum domeſticarum adminiſtrationem aliis commiſiſſe volunt, ad eas autem rediiſſe, cum opportunum eſſet; atque adeo iam Petrum à prædicatione vacuum domum ſuam rediiſſe. Equidem quandoquidem conſtat Apoſtolos omnia ita deſeruiſſe, vt ſe dominio vſuque abdicarint, quemadmodum & primos Chriſtianos feciſſe conſtat, non fuerit difficile dicere, quomodo domus hæc Petri nominetur, etſi dominus illius non fuerit tum Petrus. alii ita dictam quod in ea conuerſari ſoleret. Nonnulli fuiſſe domum Socrus Petri, ideoque dici etiam Petri, quod ea velut ſua, & vſus fuiſſet, & vteretur. Nec id ſanè peregrinum videri debet; Socrus enim vt domi ſuæ ſurgens miniſtrauit, id autem domi ſuæ matronæ facere ſolent, non alienæ. Alioquin domus Petri Bethſaidæ fuit, quæ exiguo ſpacio Capernaumo aberat, proprie vero domus Petri dicitur, quæ aliquando eius fuerat. Ita villam Ciceronis, domum Neronis dicimus, à dominis non quibus iam poſſidentur, ſed quorum aliquando fuerant. Quæ loquendi ratio ita vſitata eſt, vt multæ domus à mortuis dominis nomen retineant.

*Domus dici Petri poteſt, etſi eius dominus non ſit Petrus.*

Multo melius & verius Daniel Toſſanus ſuos frequenter arguens, domum in Capernaum vel conductam, vel paternam fuiſſe, & addit: *Nec repugnat eos omnia reliquiſſe,* vt infra dicitur cap. 19. *& tamen domum habuiſſe. quia forte propria non fuit.* De modo autem omnia relinquendi illo loco diſputabo. Nam hic cum ſuis ille errat, & erroris agnitionem, ſoluendo ſymmyſtarum argumenta, inſinuat.

## Qvæstio II.

### An Apoſtoli vxores habuerint?

*Petrus vxorem habuit, circumduxit, ſed reliquit.*

§.1. P*Etrus Socrum habuit, vxorem igitur habuit.* Infert Wolffgangus; *non deſeruit, ergo retinuit. Nam circumduxit.* 1. Cor. 9. Iſta de ſententia ſuo loco dicam. Nec ſcorta illa erant, nec vxores, 1. Cor. 9. quemadmodum mulieres, quæ ex Galilæa ſecutæ Chriſto ſeruiebant, nec Chriſti, nec Apoſtolorum vxores erant. Quod addit. *certe Pontificii citius admittūt ſcortatione vſos Apoſtolos, quam legitimo matrimonio. Sed quare? in promptu cauſa eſt, vt patrocinentur ſcortationi ſuæ impudentiſſimæ.*

*Calumnia ſectarii.*

Reſpondeo: Hanc vnam eſſe ex violentis Satanæ machinis, & dementientis viperæ morſu acriorem calumniam, qua rudes populos in dæmonis obſequio detinent. Nos nec matrimonio, nec ſcortatione Apoſtolos vſos poſt vocationem dicimus. Matrimonium ſanctum dicimus: ſcortationem æternis ſuppliciis delegamus. anathema ſi quis ſuæ vel alienæ ſcortationi patrocinatur. Si Muſculus ille vel pilum, non dico boni viri, ſed vel ingenui muris habet; vnum tractatorem Catholicum oſtendat, qui ſcortationi patrocinetur. Vxores Apoſtolorum cum ipſis & Chriſto circumiuiſſe, nec ſcriptura dicit, nec vllus hæreticorum tam eſt impudens, vt hoc profiteatur. Verum ad alium locum hæc diſputatio pertinet.

*Nemo ſcortationē defendit Catholicus, aut ſi facit, Catholicus eſſe deſinit.*

## Qvæstio III.

### An hinc interceſſio Sanctorum doceatur?

§.1. APud Lucam pro ea orant, vt oſtendant valere mutuas inter nos preces aliorum pro aliis, nec minus id locum habet in amicis, cum Deo viuentibus, quam adhuc in exilio degentibus. Wolffgang. Muſculus miratur Catholicos, qui ſanctos certos in certis morbis inuocant, quod eodem illi morbo laborarint.

Reſpondeo; Non inuocari eos, quia eodem morbo laborarūt, ſed quia apud Chriſtū intercedere poſſunt, & eius potentia nos liberare. Cur autem id fieri ſoleat in cauſa ſunt crebra miracula, quæ hoc in genere per eos Deus præſtitit. At cur non rogamus *eum qui iſtos ſanauit?* Imo eum rogamus & per nos ipſi, & per eius amicos: an Socrus Petri peccaret, ſi generum rogaret, vt pro ſe intercederet? Quicquid porro nobis obiici ſolet, in febrientem illam torqueri poteſt. Cur illi qui cum morbo aliquo, dum mortaliter viuerent, colluctati ſunt, contra eum præcipue remedia orationum ſuarum præſtent, experti fideles, quam ſcrutari malunt. An promptius id agunt, quia quantum ſit malum agnoſcunt? & non ignari malorum miſeris ſuccurrere didicerunt? An hoc factum eſt, non quod omnia ab omnibus peti non ſoleant, ſed quod fidentius eos orent, quos eiſdem malis aliquando preſſos meminerunt? An Deus ſuorum electorum, quibus omnia cooperatur in bonum, etiam aduerſa, infirmitateſque honorare conſtituit? Nam cum voluerit precioſam eſſe mortem ſanctorum ſuorum in conſpectu ſuo, quid mirum eſt, ſi morbos etiam doloreſque eorum voluit eſſe ſalutares, ideoque precioſos nobis? Verum de conſilio maieſtatis æternæ mihi iudicium non ſumo, de admirandis auxiliis omnium ætatum hiſtoriæ, atque adeo ipſa nunc templa, & ſoſpitatis anathemata loquuntur. Cauſam autem, cur hæc, vel illa à ſanctis certis petantur, eſſe miracula conſtat ex eo, quod docet experientia. Auguſtin. lib. 1. retract. cap. 13. *Suo tempore facta innumera teſtatur. Sed non ſic accipiendum eſt, quod dixi, vt nunc in Chriſti nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipſe quando iſtum ipſum librum ſcripſi ad Mediolanenſium corpora martyrum in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuiſſe iam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoſcere, nec ea quæ cognoſcimus, enumerare poſſimus.* Itaque ſi à me quæras, quare hæc ab illis & non ab aliis: litem cenſeo Deo intendas; cur ille hæc per illos, & non illos efficiat. Mihi reſpondere promptum eſt, quod in ſimili re reſpondit Auguſtinus, cum accuſatum & accuſatorem ad ſepulchrum S. Felicis mitteret, Ep. 137. *Elegi, inquit, aliquid medium, vt certo placito ſe ambo conſtringerent ad locum ſanctum ſe peregrinaturos, vbi terribiliora opera Dei non ſanam cuiuſque conſcientiam multo facilius aperirent, & ad confeſſionem vel pœna vel timore compellerent. Vbique quidem Deus eſt, & nullo continetur vel includitur loco, qui condidit omnia, & eum à veris adoratoribus in Spiritu & veritate oportet adorari, vt in occulto exaudiens, in occulto etiam iuſtificet & coronet. Verumtamen ad iſta quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt eius conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis non fiant? Multis enim notiſſima eſt ſanctitas loci vbi beati Felicis Nolenſis corpus conditum eſt, quo volui vt pergerent, quia inde nobis facilius fideliuſque ſcribi poteſt, quicquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum. Nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam ſanctorum, vbi mirabiliter & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam quia ad eum locum venerat, vt falſa iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri furtum, & quod abſtulerat* red-

*Morbi ſanctorum ſanitas multorum.*

*Auguſtinus cauſam occultam ad martyrem relegat.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Alii ſancti poſſunt, quod aliis non eſt conceſſum.*

*reddere: nunquid non & Aphrica ſanctorum martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſquam hic ſcimus talia fieri. Sicut enim quod Apoſtolus dicit; Non omnes ſancti habent dona curationum, nec omnes habent diiudicationem ſpirituum; ita nec in omnibus memoriis ſanctorum iſta fieri voluit ille, qui diuidit propria vnicuique prout vult.*

Plane eadem ratio eſt. Deus omnia dat, ſed prout vult, ſi cui dedit, vt mihi opituletur, cur non eum appellem? Calumnia igitur eſt ideo eos in morbis inuocari, quia eodem ipſi laborarunt, multa ſanctorum millia febribus mortua ſunt, aut laborarunt, nec tamen ideo inuocamus.

## VERSVS 16.

### *Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat ſpiritus verbo: & omnes male habentes curauit.*

### QVÆSTIO I.

*Quid veſpere fecit?*

*Veſpere accedunt.*

§. 1. NOnnulli attuliſſe veſpere, quod interdiu non poſſent præ turba, aut putarent licitum non eſſe propter ſabbathum. Forte nonnulli pudori conſulentes ſuo, tempus quo minus noſcerentur, quæſierunt. Ratio tamen ipſa, & conſideratio temporis oſtendit hos in veſperam reiectos; nam dum multos curat, centurionem accedit, redit, cœnat, fama vulgatur, atque ita, vt quiſque poterat, ſuos adducit.

*Verbo eiicit*, vt abſoluta potentia ſignificetur. Cicer. 2. Catil. *Ego vehemens ille conſul, qui verbo ciues in exilium eiicio. Quod ego ſi verbo conſequi poſſem, iſtos ipſos eiicerem, qui hæc loquuntur.* Hic igitur pariter loquendi modo, & poteſtatis vſu, apparet diuinitas ſeu increata potentia, qua non orando, ſed imperando operatur.

*Furioſi non ſunt.*

Beza minime audiendus, qui eos coniungit, qui naturali, & à medicis ſanabili furore laborabant. Non enim dæmoniaci illi vocantur, nec à dæmone obſidentur, vt ſuo loco dicam.

*Multitudo dæmoniacorum.*

§. 2. Inter Iudæos eo tempore multi dæmoniaci erant, lapſis moribus, & regnante vbique in cordibus dæmone. Inter Samaritanos plures, & gentes plurimi; & quidem multo tempore deinceps vehementer gentilium corpora, à dæmonibus vexata ſunt. Tertull. in Apolog. videatur, & Hier. in vita Hilarionis.

§. 3. Bullingerus *dæmoniacos ad diuos, aut exorciſtas negat adducendos, ſed cuſtodiendos, & orandum, fore vt ſe exerat Dei auxilium in cœtu ſanctorum.*

*In cœtu Caluini nunquam dæmon pulſus.*

Deſperabat homo non incautus poſſe aliquando à ſe, ſuiſque dæmones expelli: nos à Patribus edocti, & ad ſanctos, & ad exorciſtas dæmoniacos deducimus. Fecerunt id olim Chriſtiani in fidei primordiis Actor. 19. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam ſuper languidos ferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.*

Et olim coniectum in Heliſei ſepulchrum cadauer reuixit. 4. Reg. 13. Tu vide Hieronymum Epiſt. ad Euſtochium, Auguſtinum lib. 22. de ciuit. cap. 8. Baſilium in orat. de Hamante, Gregorium Nazianz. & Cyprianum, Amb. de Geruaſio & Protaſio, Gregor. Nyſſenum & Theodorum, Theodoretum de martyribus ad Græcos. Epiphanium in vita Ezechielis, Iſaiæ, Ieremiæ. Et ſi vetuſtiora quæris Cyprianum Epiſt. 2. & Epiſt. 76. ad Magnum;

*Exorciſtæ.*

*Quod hodie etiam geritur, vt per exorciſtas voce humana & poteſtate diuina flagelletur, & vratur, & torqueatur diabolus: & cum exire ſe, & homines Dei dimittere ſæpe dicat, in eo tamen quod dixerit, fallat, & id quod per Pharaonem prius geſtum eſt, eodem mendacio obſtinationis & fraudis exerceat.*

Fatemur non deducendos ad exorciſtas quales ſunt in π. *de ver. & extraord. cognit. c. 1. §. medicos. Si incantauit vel imprecatus eſt, vel (vt vulgari verbo impoſtorum vtar) exorcizauit; non ſunt iſta medicinæ genera.* Illos enim impoſtores iudicauit Vlpianus Alexandri Imp. Conſiliarius, ita enim de Chriſtianis iudicabant, Tacitus Suetonius, alii. Lex autem non veros exorciſtas, ſed impoſtores conſtringit.

Quod ſi etiam antiquiora ſpectemus, habemus Tertull. Apol. cap. 23. *Atquin omnis hæc noſtra in illis dominatio & poteſtas de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia exſpectant. Chriſtum timentes in Deo, & Deum in Chriſto, ſubiiciuntur ſeruis Dei, & Chriſti. Ita de contactu, deque affatu noſtro, contemplatione, & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes. Credite illis cum verum de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuum dedecus mentitur, quin potius ad honorem. Hæc denique teſtimonia Deorum veſtrorum Chriſtianos facere conſueuerunt quia plurimum illis credendo in Chriſto Domino credimus.*

Quod ſi antiquiſſima mauis, adeatur Areopagita Eccleſ. Hierarchiæ cap. 2. Nam quæ Ioſeph. lib. 8. de exorciſtis Salomoniis habet, in dubium vocari poſſent. Si denique vetera, media, noua & admiranda quiſpiam deſiderat, leget doctiſſimum & accuratiſſimum ſcriptorem Petrum Thyræum huius Academiæ aliquando Profeſſorem de dæmoniacis pag. 3. c. 43. & conſulet quos ipſe citat & plurimos & fidiſſimos.

## VERSVS 17.

### *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam, dicentem, ipſe infirmitates noſtras accepit: & ægrotationes noſtras portauit.*

### QVÆSTIO I.

*Quomodo noſtras infirmitates portauit?*

§. 1. APud Iſaiam ita legimus, vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Euangeliſta vocat ἀσθενείας, & νόσους, *infirmitates & morbos.* Tertull. vocat *valetudines*, Septuaginta verterunt τὰς ἁμαρτίας in ſe ſuſcepit, סבל *Sabal*, quaſi humeris tulit.

De doloribus Chriſti Petrus accipit, Ep. 1. c. 2. 24. & quidem crucis. Matthæus & Petrus facili negocio conciliari poſſunt. Chriſtus enim noſtros morbos portauit, & pertulit, non modo quia eius dolore ſanati ſumus, hoc eſt, paſſione ſua peccata ſuſtulit; ſed etiam quia idcirco ſe exinaniuit formam ſerui accipiens, & corpus mortale, vt noſtris languoribus mederetur corporis & animæ curator. Tulit autem, & à nobis abſtulit, non patiendo tartareos damnatorum dolores, ſed moleſtias huius vitæ, mortiſque diritatem. Hinc apparet quam impia ſit argumentatio catechiſmi Heidelbergiani; probat enim Chriſtum oportuiſſe noſtros dolores ferre, quia nos ab illis liberauit: *nam à quo nos liberauit, id ferre debuit.* Ea de re agetur cap. 27. & locum citabo & verba. Hæc ſententia Prophetæ blaſphemam rationem fulminat. Dæmoniacos, leproſos, febrientes, cæcos, claudos, malis ſuis Dominus liberauit, nec ferre tamen illa debuit. Cur igitur fuit opus, eum infernos impii, & damnati hominis cruciatus ſubire,

vt ab

vt ab illis nos redimeret? An parum precioſus, parum efficax eſt ſanguis agni immaculati, aut euanidum eum ſentiat Caluiniſta, niſi adſit pœna hominis damnati? bene Arminiani ſibi conſuluerunt, vt habet Barlæus in B. germanno ἐλεγχομένῳ, dum monſtra illa impietatis abnegarunt.

## VERSVS 18.

*Videns autem Ieſus turbas multas circum ſe, iuſſit ire trans fretum.*

### QVÆSTIO I.

*Quo progreſſus & quando?*

§. 1. LVcas & Marcus aiunt in deſertum ſeceſſiſſe, nam trans lacum erat ſolitudo.

Beza noſtrum interpretem reprehendit hunc in „ modum. [Iuſſit vt abiretur, ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν, id eſt, „ indixit profectionẽ, pro quo Gallice dixeris: Il com„ manda quon allaſt. nec enim ita eſt hoc accipiendum, „ quaſi diſcipulos trans lacum ablegarit, vt qui vna cum „ ipſis traiecisse poſtea dicatur: ſed ſignificauit illis, ſe „ traiicere lacum conſtituiſſe, nempe vt nauigium, & „ cætera neceſſaria compararentur. Itaque vulgatam „ interpretationem: iuſſit diſcipulos ire transfretum „ (præterquam quod addit de ſuo vocem, Diſcipulos; „ neque τὸ πέραν fretum ſignificat) vt ambiguam meri„ to mutaui. In vlteriorem (ripam) εἰς τὸ πέραν vulg. „ transfretum, *id eſt*, πέραν τῆς θαλάσσης, *vel* πορθμοῦ. „ Erat enim ſita Caphernaum cis lacum Tiberiadis.]

*Verſio noſtra defenſa.*

Hic primum reſpondeo, *diſcipulos* in lectione correcta omitti. Deinde εἰς τὸ πέραν, proprie redditur trans fretum; erat enim ibi lacus anguſtus & proprie reddi non poteſt, niſi dicamus, *in trans* Syrus לְעִבְרָא, *in tranſitum*, ſeu *in trans*, quomodo latinis loqui non licet.

*Tempus nauigationis.*

§. 2. Ex Matthæo non poteſt certum tempus colligi, quo tranſierit lacum in aduerſam partem.

Ex Marco intelligitur, poſt parobolam de ſemente, aliáſque factum; nam cap. 4. v. 35. *& ait illis in illa die: tranſeamus contra.*

*Tempus ex Luca incertum.*

Ex Luca multo minus ratio temporis haberi poteſt: abſolute enim dicit: c. 8. 23. *factum eſt autem in vna dierum*: quamuis & ille narret poſt parabolas. Dicendum vero eſt enarrationem parabolarũ anteceſſiſſe; quia Marcus dicit expreſſe, *illa die, cum ſero eſſet, transfretaſſe.* Nec obſtat quod Matth. 13. 36. dimiſſis turbis venit domum, ibi enim cùm diſcipulis priuatim quædam explicuiſſet, forte etiam cænaſſet, ſero nauem ingreſſus eſt, nec enim domus longe aberat à mari.

Difficile argumentum obiiciunt ex Auguſtino lib. 2. c. 23. de conſenſu Euangeliſtarum. In hac traiectione ad Gadarenos non erat Matthæus; at in explicatione parabolarum fuit, ergo parabolæ ſequuntur nauigationem. Ita Auguſtinus l. 2. de conſenſu cap. 26. *Hinc ergo ſequitur Matthæus dicens: Et cum tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in teloneo, Matthæum nomine, & ait illi, ſequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Hoc Marcus ita narrat, eundem etiam ipſe ordinem tenens poſt illius paralytici ſanitatem: Et egreſſus eſt inquit ad mare, omniſque turba veniebat ad eum, & docebat eos. Et cum præteriret vidit Leui Alphæi ſedentem ad teloneum, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum. Nihil hic repugnat, ipſe enim Matthæus, qui & Leui. Lucas etiam hoc poſt eundem paralyticum ſanatum ita ſubiungit: Et poſt hæc exiit, & vidit publicanum nomine Leui ſedentem ad teloneum, & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus ſurgens ſecutus eſt eum. Hinc autem probabilius videtur, quod hæc prætermiſſa recordando Matthæus commemorat: quia vtique ante illum ſermonem habitum in monte, credendum eſt vocatum eſſe Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex pluribus diſcipulis electos, quos & Apoſtolos nominauit.*

Nondum vocatum fuiſſe probant ex Matth. c. 9. v. 9. & cum tranſiret inde Ieſus vidit hominem ſedentem in telonio, *inde* id eſt è domo ſua, in quam venerat poſt reditum à Geraſenis. Fuiſſe autem in explicatione parabolarũ ex 2. 3. & 4. Marci probatur: nam c. 2. 14. vocatur, & c. 3. 17. inter Apoſtolos recenſetur.

Hic apparet non poſſe iſta aliter conciliari, quam vt vel dicamus cum Vincentio noſtro verba Marci *Illa die*, intelligenda ita eſſe, vt ſignificent, *illo tempore* quod durum eſt, cum addat id factum, *illa die, cum ſero factum eſſet*: videtur non poſſe accipi de tempore præterito, ita tamen ſentiunt Vincentius, & non nulli alii, ideoque parabolas poſt nauigationem dictas arbitrantur. Vel ea, quæ Matth. 9. 9. habentur, *& cum tranſiret inde Ieſus*, ſic intelligenda ſunt, vt ſit, *quodam tempore, cum tranſiret inde*, non vt ſignentur acta præcedentia. Vel certe dicendum in Marco temporis ordinem non eſſe ſeruatum. Mihi tamen omnino, cum Marcus, & diem, & horam diei ſignet, proprie locutus; Matthæus ordinem temporis non ſeruaſſe videtur.

## VERSVS 19. 20.

*Et accedens vnus ſcriba, ait illi; Magiſter, ſequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Ieſus, Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.*

### QVÆSTIO I.

*Cur ſcribam non admittit?*

§. 1. EX reſponſo colligere quodammodo poſſumus. Non ad verba, ſed animum Dominum attendiſſe. Videbat admirandam Chriſti virtutem, magnoque illum in honore eſſe, itaque honoris & commodi ſui cauſa videbatur conſortium Chriſti ambire: Hæc omnia vna Chriſtus abſcindit. Et non modo ſeipſum, ſed Apoſtolos quoque rerum inopes eſſe demonſtrat.

*Scriba cõmodi temporalis cauſa accedit.*

Auguſtinus ſuperbum ſcribam, & inſidiatorem arbitratur. Chryſ. homil. 28. Hieron. Euthym. Gloſſa, conſentiunt.

Auguſtinus Serm. in monte ait: *Ita enim quendam ſuperbum, quantum intelligitur ex verbis ipſius Domini, vltro ſecum ire cupientem, à ſuo diſcipulatu reuocauit. Sequar te, Domine, ait, quocunque ieris. Et Dominus in corde eius inuiſibilia videns, Vulpes, inquit, foueas habent, & volatilia cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet: hoc eſt, habitant in te inſidiæ ſicut vulpes, habitat ſuperbia ſicut cœli volatilia: filius autem hominis ſimplex contra inſidias, humilis contra ſuperbiam, non habet vbi caput ſuum reclinet. Et ipſa reclinatio capitis, non erectio, humilitatis magiſtra eſt. Reuocat ergo iſtum ire cupientem, trahit alterum recuſantem.*

Fraudulenter Scribam petiiſſe putat S. Ambroſ. *enarrat. in Pſalm.* 118. *octona* 12. Sincero animo egiſſe Titelmannus & Barradius arbitrantur, ſed à Chriſto rei difficultatem illi propoſitam. Barradius tamen in patrum ſententia magis acquieſcit. *Et alibi*, inquit Ambr. *cum ſe fraudulenter interrogari aduerteret, dixit; Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos vbi requieſcant; eo quod fraudulenter in terreſtrium paſſionum quibuſdam latibulis demorentur.*

§. 2. Non recedunt etiam ſectarii, quos tamen illa hypocriſis præcipue eo trahit, vt videantur velle ſerui-

*Sectarii bona Eccleſiæ venantur, non pietatem.*

„ re Chriſto; ſic Bullingerus: [Scribæ huic ſiue legis-
„ perito hodie ſimiles ſunt, qui ſe non ob aliud, Euan-
„ gelicis partibus adiungunt, niſi vt rem ſuam confi-
„ ciant, è bonis Eccleſiaſticis diteſcant.]

Cui ſententiæ adeo non repugno, vt non dubitem pleroſque ea de cauſa receſſiſſe, vt cupiditatibus ſeruirent, diſciplinæ enim oſor eſt, quiſque orthodoxam fidem abnegat. Quia cum conſcientiam perdiderunt, à fide naufragauerunt. Auaritiæ vero & libidini conſcientiam prætendunt.

## QVÆSTIO II.

### *Quomodo filius hominis non habeat vbi caput reclinet?*

*Chriſto vita temporali pauperrime proſpectum.*

§.1. VVlpiũ nomine doloſos raptores, inſidiatores volucrum ſuperbos intelligunt, ſed de literali ſenſu agimus. Hanc ſuam eſſe paupertatem indicat, vt etiam beſtiolarum vitæ melius, quam ſuæ proſpectum videatur. Vulpes enim φωλεὺς, foueas, & ſpelea habent, in quibus latent, & fœtificant. Volucres nidos, κατασκηνώσεις, vbi obtento quaſi velo teguntur. Ita quoq; expreſſit Syrus, eſt enim מטללא *matlela* à טלל *telal, tegere, inumbrare*, hinc מטללא matlele, *vmbracula*, quæ omnia ſunt ex hebræo צלל tzalal, quod eſt tegere, vmbrare, & צל tzel vmbra. Eodem modo & centurio loquitur מטלי *matli* quaſi dicat tegumentum, tugurium meum.

§.2. Paupertas Chriſti grauis eſt viſa ſectariis, ideo aliter comminiſcuntur, filium hominis nõ habere vbi caput reclinet. Melanchthon myſtice interpretatur. Id eſt, *tã abeſſe oportet à Chriſtiana mente cupiditatẽ omnem, vt ne ſit vſquam vbi caput reclinet.* at certe nec Domini Oratio, nec ſcopus illi expoſitioni cõuenit. Filius hominis non habet vbi caput reclinet, hoc eſt, cupiditas in mente hominis Chriſtiani habere nõ debet, vbi caput reclinet, at poterat eſſe opulentiſſimus, Crœſi & Ptolomæi theſauros ſine cupiditate poſſidere; at inopia profeſſa hominem ambitioſum abigit. domũ, agrum, vitem, poſſeſſionẽ nullã habebat. Cur igitur Melanchthon in hunc errorẽ impegit? Cauſa palã, & in promptu eſt, ne Apoſtoli res ſuas dimiſiſſe opus ſit dicere. At ſi eſt ea Chriſti paupertas, non erant in eius contubernio ſperandæ diuitiæ. Nec modo id aſſerit, verũ ſenſus eſt, non quæri à ſe diuitias, non poſſe haberi. Eâdem opera Apoſtolorũ quoq; paupertatẽ reddit manifeſtã; alioqui cogitare poterat ſcriba: Dominũ quidem pauperem eſſe, ſe vero poſſe eius conſortio diteſcere, vti nunc videmus, paupertimos principũ plurimos ditare. Monet igitur eandem eſſe Apoſtolorũ ſuorum cõditionem, nec vllum qui ea lege nolit eſſe, in familiare contuberniũ ſuſcipi. Atq; hinc apparet quam vanum ſit, quod aiunt Apoſtolos ſuarum rerum dominia retinuiſſe procurato es conſtituiſſe. Nam poterat ille idem facere. Deinde cum ſe Apoſtoli magis Chriſto deuinxerint, quam vllus ſeruus Domino, & κτήσει & χρήσει *poſſeſſione & vſu*, nec illi paupere Domino diuites, nec Dominus illis diuitibus pauper eſſe poterat. Cum omnia quæ ſeruus habeat, Domini ſint.

*Chriſtus profeßione inopiæ ſcribam abigit.*

*Apoſtoli pauperes vti Chriſtus.*

§.3. Muſculus aliique queruntur Pontificem Chriſti vicarium habere opes, Clementem V. habuiſſe gemmam aureorum ſex millium, quomodo ergo Chriſti, Petrique Vicarius?

*Pontifex quomodo diues eſſe poßit?*

Reſpondeo. Chriſti vicariũ, Petri ſucceſſorem eſſe. Opulentiam Pontificis nõ eſſe peccatum, vti nec Miniſtrorũ, qui ſe Euangelicos dicunt. Adrianus Sarauia Epiſcoporum Britannicorum opes ſollicite defendit; Nulla enim lex eſt, quæ Epiſcopis, aut Sacerdotibus eandem paupertatem imperet, qua Chriſtus cum ſuis vti voluit. Quin Caluiniani damnant anabaptiſtas, qui nullos miniſtros, niſi qui ſe rebus omnibus abdicarint, admittunt. Imo hic laborant, ne Chriſtum & Apoſtolos pauperes dicere cogantur.

## VERSVS 21. 22.

*Alius autem de diſcipulis eius ait illi, Domine, permitte me primum ire, & ſepelire patrem meũ. Ieſus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.*

## QVÆSTIO I.

### *Quomodo mortui ſepelire iubentur mortuos?*

§.1. DVplex interpretatio. Alii non hoc petiiſſe, vt patrem iam vita functum ſepeliret: ſed vt ſeni inſeruiret, donec viueret. Alii negant tam longas inducias poſtulaſſe, ſed patri iam mortuo funus parare voluiſſe. Dominum autem id negaſſe, vt oſtenderet nihil ſuo ſeruitio præferendum eſſe.

Hic diſcipulus erat, qui in eum credebat, non qui ſequebatur, diſcretor cogitationum illum eligit, alium repudiat. Ex collatione Luc. & Matthæi conſtat, bis illi à Chriſto dictum: ante & poſt excuſationem. Clemens l.3. Strom. Philippum putat. Tertullianus de baptiſmo c.12. non dicit Matthæum eſſe, vt oſtendit Pammelius, quod alii illi impegerant. Patrem fuiſſe mortuum Chryſ. Euthym. Theophyl. auctor conſtitutionum Monaſticarum, quem Baſilium multi putant.

§.2. Ambigue Chriſtum vti voce mortuorum adiunctâ docent. Mortui enim qui ſepeliuntur, vere, proprieque ſunt mortui. Qui eos ſepeliunt, non ſunt mortui illa morte, qua ſepulti, ſed alia morte, qualis deſcribitur Epheſ.2.1.& 5.14. & 1.Timoth.5.6. Peccato igitur mortui ſepeliunt vita functos. Ita Auguſtin. l.20. de ciuit. Dei, c.15. *Cum ergo*, ait, *& quos hic inueniet Chriſtus in corpore conſtitutos, ſimul ſignificaret, cum iis qui reſurrecturi ſunt, iudicandos; etiã ipſos mortuos appellauit, & bonos, quibus dicitur: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in Deo. Et malos, de quibus dicitur: ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos. poſſunt mortui etiã propter hoc dici, quod mortalia gerunt corpora. Vnde Apoſtolus: Corpus quidem, inquit, mortuum eſt, propter peccatum: Spiritus autem vita eſt propter iuſtitiam, vtrumque in homine viuente, atque in hoc corpore conſtituto eſſe demonſtrans: & corpus mortuum, & ſpiritum vitam.* Et ita clariſſime definit. *Non autem iſta corporum, ſed animarum eſt. Habent enim & anima mortem ſuam in impietate atq; peccatis. ſecundum quam mortem mortui ſunt, de quibus idem Dominus ait: ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos: vt ſcilicet in anima mortui, in corpore mortuos ſepelirent. Propter iſtos ergo impietate, & iniquitate in anima mortuos: Venit, inquit, hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filii Dei, & qui audierint, viuent.*

§.3. Cauſa negandi facultatem ſepeliendi, vt omnes intelligerent, quam ſit continuo amplexanda gratia Creatoris, etenim cum ſummum bonum offeratur, illud ſine vlla alterius rei cogitatione amplecti illum oportuit, omniaque Deo committere, qui multo melius nobis conſulere, quam nos ipſi, valet.

Aliæ quoque cauſæ, cur ne exiguas quidem inducias dare voluerit, eſſe poſſunt: Periculum à domeſticis infidelibus aut prauis; nimius in ſepultura ſumptus aut cura; teſtamenti aliorum negotiorum moleſtiæ. ſed caput erat, quod ait Lucas, *Tu vade & annuncia regnum Dei*, illi officio nihil, ne vita quidem parentum, nedum mortuorum funus anteponendũ fuit. Quare os calumniantium obturatur, quaſi Chriſtus officium pietatis vetet. Non enim honorem patri denegare iubet,

bet, ſed Dei gloriam, ſalutemque animarum in annunciatione Euangelii poſitam, non neceſſario funerandi officio præponere, præſertim cum non deeſſent, qui mortuum humo mandarent, pauci vero eſſent, qui animas cœlo inferendas curarent.

## QVÆSTIO II.

### *An liberum arbitrium peccato tollatur?*

§. 1. OBiiciunt & hoc: Mortuus non cooperatur Deo viuificanti, non igitur habet liberum arbitrium. *Reſpondet lib. 6. de gratia Dei & libero arbitrio cap.13. Bellarm. primo, argumentum hoc recte probare, peccatorem, quia mortuus eſt, non poſſe ex ſe aut ſuis viribus vitam recuperare; aut vllo modo ſe ad vitam recuperandam præparare: ſed non probare, non poſſe eundem peccatorem per gratiam præuenientem excitatum & adiutum, Deo ſe ad vitam reuocanti cooperari. Id enim, inquit, non facit vt mortuus, ſed vt vitalem virtutem à Deo habens. Deinde ſimilitudines non in omnibus conuenire. Cadauera quidem, quia omnibus modis ſunt mortua, nec vllum genus vitæ retinent, nullo modo cooperari ad ſuam excitationem poſſe: mortuos verò in peccatis, cum viuant vita naturæ, licet non viuant vitâ gratiæ, poſſe non vt mortuos, ſed vt viuos vno genere vitæ cooperari ad ſuam viuificationem, ſecundum alterum genus vitæ, ſi virtutem cooperandi à Deo receperint.*

*Peccator quà viuit Deo cooperatur.*

Occurrit Pareus: [Prior eluſio vaniſſima eſt. Mortui enim, qua mortui, non modo ex ſe nihil operantur, ſed nec excitari vel adiuuari, vel vllam vitalem virtutem habere dici poſſunt, antequam à Deo in vitam reuocentur. Fingit igitur iſte ἀσύστατα, mortuos vitalem virtutem à Deo habere, qua cooperentur, antequam à Deo in vitam ſint reuocati, hoc eſt, fingit mortuos non mortuos, vel nec mortuos, nec viuos. Atqui dum cooperantur, aut viui ſunt, aut mortui. Si viui quomodo demum viuificantur? ſi mortui, quomodo viuificationi cooperantur? poſterius effugium eſt æque friuolum. Etſi enim mortui ſpiritualiter in peccatis viuant naturaliter, falſum tamen quod naturali vita ad ſupernaturalem vitam acquirendam operari quicquã poſſint? Quoniam ſecundum naturalem vitam ſunt homines animales: At animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſed ſunt ei ſtultitia, ac ne poteſt quidẽ ea cognoſcere 1. Cor. 2. 14. Quomodo igit' iis, q̃ nõ nouit, cooperabitur, cum ignoti nulla ſit cupido?]

Equidem inſigni omnino impudentia aut imperitia eſſe eum oportet, qui hac in re veritati obluctatur. Mortuus eſt in peccato Petrus, Chriſtus eum ad vitam excitat aſpectu, mouetq; animum ad pœnitentiã, qui eſt quidam motus vitalis; Ille vero motus quo viuificantur, à Deo eſt, non tamen ſine aliqua actione viuificati. Homo ita mortuus eſt, vt ſine Dei auxilio nihil poſſit, cum ea autem tantum valeat, quantum Deus dederit. Ita non per omnia cadaueri ſimilis eſt, ſed in eo tantum, quod quemadmodum cadauer nullam vitalem operationem poteſt edere, ita nec homo peccator. Cum verò peccator habeat in moralibus adhuc liberum arbitrium ad actiones moraliter bonas, eas poteſt edere, quemadmodum cadauer actiones naturales retinet, deorſum deſcendendi, frigefaciẽdi: quamdiu autem peccator permanet, nulla eius actio eſt ſpiritaliter vitalis, ſeu ad vitam æternam vtilis; at illa actio qua viuificatur, h. e. cum veram ex caritate contritionẽ elicit, non modo à Deo eſt, ſed etiam ab efficientia liberi arbitrii, duo enim ſunt principia vnius effectus. Non enim homo propria actione iuſtificatur, ſed vitaliter ille actionem elicit, Deo tamen præueniente, & adiuuante. Poſſet hoc in cadauere intelligi adhuc calente, cui ſi anima reſtituatur, eodem illo calore agere poteſt, quem reliquum conſeruauit.

*Quod vitæ eſt reliquũ in peccatore, agere poteſt.*

Quod vero in morte ſpiritali ſemper aliquod maneat principium vitale, veriſſimum eſt, nec Bellarmini commentum, ſed veterũ ſententia. Dionyſ. Eccl. Hierarch. c. 2. p. 3. vocat ἀνθαίρετον αὐτεξουσιότητα, *ab ipſo homine procedentẽ eligendi poteſtatem, quæ ſit in eius poteſtate*. ꝙ vel maximè diſplicet Calu. l. 2. c. 2. §. 4. (Sed velit nolit, Dionyſ. audiet.) Εἰ δ' οὖν ἀποσταίη τοῦ νοητοῦ φωτὸς, ἡ τῶν νοερῶν ἀνθαίρετος αὐτεξουσιότης, κακίας ἔρωτι συμμύουσα τὰς φυσικῶς ἐνεσπαρμένας αὐτῇ πρὸς τὸ φωτίζεσθαι δυνάμεις, ἀπήρτηται τοῦ παρόντος αὐτῇ φωτὸς οὐκ ἀποστάντος, ἀλλ' ἐπιλάμποντος αὐτῇ μυωπαζούσῃ, καὶ ἀποστρεφομένῃ προστρέχοντος ἀγαθοειδῶς, εἴτε τοῦ μετρίου αὐτῇ δοθέντος ὁρατοῦ τοὺς ὅρους ὑπερπηδήσοι, καὶ πρὸς τὰς ὑπὲρ τὴν κατ' αὐτὴν ὄψιν αὐγὰς αὐτοπτῆσαι τολμηρῶς ἐπιχειρήσοι, τὸ μὲν φῶς ἐνεργήσει παρὰ τὰ φωτὸς οὐδέν. i. e. [Siue igitur ab intelligibili lumine diſcedat intellectualium (naturarum) per ſe electiua libertas, & inſitas ſibi naturaliter vires, quibus illuminari queat, nequitię amore comprimẽs excidat, cum lux illi præſens nequaquam abſcedat, ſed cæcutienti ſuffulgeat, auerſantiq; inſigni benignitate accurrat: ſiue conceſſi ſibi modicè luminis terminos tranſiliat, atq; ad excelſiores quam ſuorum imbecillitas oculorum ferre poſſit, lucis radios temerè conetur aduerſos obtutus intendere, lux quidem illa nihil præter lucis operabitur munus.] Eundem vocat αὐτοκίνητον, à ſe ipſo mobilẽ non ſine Dei auxilio, ſed eo adiuuante. Abſurdũ eſt igitur, quod Lutherus in Pſalmos ſcribit, Liberum arbitrium in opere interno non habere vllam actiuitatẽ. Et velle illud quod credere, ſperare, diligere dicitur, eſſe motum raptus, ſemper eſſe paſſionem, & meram paſſionem. Beza quoq; in Adamo ante peccatum negare conatur. lib. q. & reſponſ. p. 1. q. 99. [De hoc quoq; (*inquit*) ambigi poſſe videtur, fueritne ante auditũ Satanã homo ille primus eo arbitrio præditus, quo in vtramuis partem deliberaret. Quî enim cadere potuit malum in deliberationẽ, ꝙ nondum in mundum introierat? vt mihi quidem Adam anteà videatur ad vnicum bonum ſponte toto animo & corpore contendiſſe abſq; vlla prorſus contraria cogitatione vel diſceptatione, nedum προαιρέσει (*electione*) quæ omnia in humanum ingenium inuexit Satan, introducta in nobis concupiſcentia.] In mortuo ſæpe fides aliaq; remanent, quæ licet vitam, hoc eſt, iuſtitiã non efficiant, nec gratiam; adminicula tamen ſunt, quæ cum Dei influxu pariter operantur.

## VERSVS 23. 24.

*Aſcendente eum in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius & ecce motus magnus factus in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat.*

## QVÆSTIO I.

### *An rectè verterit noſter: & quæ nauicula?*

§. 1. IN Græco nõ eſt genitiuus abſolute poſitus, ſed ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον ἠκολούθησαν αὐτῷ, *ingreſſum ipſum in nauem ſecuti ſunt ipſum diſcipuli eius.* Itaq; & αὐτῷ hic iterum redundat. Syrus: & cum aſcendiſſet Ieſus in nauem, aſcenderunt diſcipuli cum eo. In re leui multis verbis laborat Eraſmus, vt oſtendat πλοῖον nauem eſſe, non nauiculam. Ideo nec Petri nauiculam vocari oportere: πλοῖον generale eſt, naues, & nauiculas ſignificat, itaq; pro loci captu vtroque modo verti poteſt. Minora ſane apud Thucididem deſignat. πλοῖα ille vocat, & ὁλκάδας. Videntur autem hæc nauigia fuiſſe ἄφρακτα, ideoq; & minora. Nec magnam fuiſſe conſtat, ſed potius ſchapham, qua ſtagnum traiiciebant. Apertam fuiſſe conſtat ex Marci 4. 37. ita vt impleretur nauis, Matthæus ait καλύπτεσθαι, *operiebatur.* Tertullianus iam olim nauiculam vocat. libr. de

Baptiſmo. *Ita opinor,* inquit, *autem, aliud eſt adſpergi, vel intercipi violentia maris, aliud tingi diſciplina religionis; caterùm nauicula illa figuram Eccleſiæ præferebat, quod in mari, id eſt ſæculo, fluctibus id eſt perſecutionibus, & tentationibus inquietatur. Domino per patientiam veluti dormiente, donec orationibus ſanctorum in vltimis ſuſcitatus compeſcat ſæculum, & tranquillitatem ſuis reddat. Nunc ſiue tincti quoq; modo fuerunt, ſiue illoti perſeuerarunt, vt & illud dictum Domini de vno lauacro ſub Petri perſona ad nos tantummodo ſpectet, de ſalute tamen Apoſtolorum ſatis temerarium eſt æſtimare, quia illis vel primæ dilectionis & exinde indiuiduæ familiaritatis prærogatiua compendium baptiſmi conferre poſſet.*

§. 2. Apud Lucam eſt, & alias naues fuiſſe cum eo, quæ tempeſtate non videntur iactatæ, ſed per noctem ſeiunctæ, & liberæ. Euthymius, Beda, Strabus putant eas nos iactatas, vt pateret tempeſtatem Chriſto prouidente & volente excitatam, & ita coercitam vt in ſocias naues non ſæuiret. de tempeſtate iſtâ vide Gregorium lib. 8. Ep. 41. Auguſt. ſerm. 3. 17. homil. Chryſologum de hoc ſomno Chriſti.

§. 3. Dormit, vt magis ſolliciti auxilium quærerent. Chryſoſt. hom. 29. Lyranus, dormiſſe, vt humanæ naturæ veritas oſtenderetur.

## VERSVS 25.

*Et acceſſerunt ad eum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes, Domine, ſalua nos, perimus.*

### QVÆSTIO I.

*An hoc contra Inuocationem ſanctorum?*

BVllingerus, quia acceſſerunt ad Chriſtum diſcipuli, & auxilium poſtularunt, non poſſe à ſanctis „ quicquam peti concludit. [Proinde, *ait*, errorum „ & ſuperſtitionis magiſtri ſunt, qui docent in periculis, „ procellarum maximè, auxilium petere Virginis Ma„ riæ, S. Nicolai, & Chriſtophori. Nam Euangelium „ docet nos D. o ſupplicare, & dicere, Domine, ſerua „ nos, perimu.]

*Chriſtum, cum ſanctorum interceßione inuocamus.*

Nicolaum in tempeſtate implorantibus, interceſſionem ſuam apud Chriſtum adfuiſſe, hiſtoria vitæ eius authentica docet. Hoc ex loco, ſi quicquam conficeretur, id potius ſequeretur, licere interceſſionem petere. Nam nihil dubito etiam nautas cum diſcipulis egiſſe, vt Dominum excitarent. Nam erat alioqui illi vicinus qui clauum tenebat, dormiebat enim Dominus in puppi Marci 4. verſ. 38. Cum igitur ille maximè periculum ſentiret, & proximus aſſideret, per alios tamen Dominum excitat: cur nobis id vetitum ſit?

## VERSVS 26.

*Et dicit eis, quid timidi eſtis modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*

### QVÆSTIO I.

*Quæ fides?*

§. 1. MAgna erant in conſternatione, itaque primo ἐπετίμησε, vt eſt apud Marcum, *increpuit* mare. Dixitque σιώπα, καὶ φιμώθητι, *tace & obmuteſce.* Vim igitur vi oppoſuit. Apud Marcum dicit, πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; alii legunt, οὔτω πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; ſed cum priore verbo legendum eſt, οὔτω *ſic.* Lucas habet: *vbi eſt fides veſtra?* Fidem hanc qui de fiducia accipiunt, mihi in re manifeſta ſomniare videntur. Timebant enim naufragium. Non putabant tam præſenti ſe auxilio liberandos. Ideo mirantur: quis eſt putas iſte? quia & ventus, & mare obediunt ei? Admiratio indicat fidem non habuiſſe, quâ tanti eum facerent. Initio fides in Apoſtolis tanta non fuit; nam ſedatâ tempeſtate mirantur. Non miraturi, ſi dixiſſent: ſi vis, potes ſedare fluctus maris. Modica fides: non enim dormientem auxiliari credebant. Orig. homil. 6. de diuerſis. Chryſoſtom. homil. 29. *Antè fides magna fuerat, nunc in periculo concutitur.* Multo maiora viderant, & crediderant, ſed turbati hærent. Cyprianus lib. 4. Ep. 6. *Hoc demum eſt robur fidei, credere, & ſcire, quod Deus à morte liberare poßit, & non cedere.* at iam parum aberat, quin illi cederent. Tranquillitatem vocat γαλήνην, quę proprie eſt maris quieti. Cauſa τῆς γαλήνης eſt νηνεμία, ventorum abſentia. Hom. Odyſſ. 2. καὶ τότ' ἔπ' ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη ἔπλετο νηνεμίη. *Et tum poſtquam ventus ceſſauit, & tranquillitas facta ex ventorum ceſſatione.* Et Odyſſ. K. οὐ μὲν γὰρ ποτ' ἀέξετο κῦμα γ' ἐν αὐτῷ. οὔτε μέγ', οὔτ' ὀλίγον, λευκὴ δ' ἦν ἀμφὶ γαλήνη. *Neque enim excitabatur* (in portu Læſtrigonum) *fluctus, nec magnus, nec paruus, ſed candida erat circum tranquillitas.*

*Fides p… culo c… titur.*

## VERSVS 28.

*Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam.*

### QVÆSTIO I.

*Qui ſint Geraſeni?*

§. 1. GRæcus γεργεσηνῶν. Syrus Gadarenorum, ita Marcus & Lucas. Gergaſi ſeu Gergeſa ciuitas apud Iordanem, iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manaſſe. Hæc dicitur, in Geraſâ, & Hier. in com. in Abdiam, Beniamin cunctam poſſidebat Arabiam, quæ prius vocabatur Galaad, & nunc Geraſa nuncupatur. Altera Gedara eiſdem in finibus fuit, Ioſeph. lib. 5. de bell. cap. 3. dictæ ſunt à Gergeſeis.

*Gera… & Ger… ſeni.*

Gezara etiam dicitur. Ptolomæus tribuit eam Arabiæ Petreæ. I. n. & Trem. Geraſſam ſeu Gergeſſam, & Gadaram eſſe oppida vicina, & fines commiſtos. De Geraſa doctiſſimè noſter Vincentius lib. 3. cap. 5. num. 2. *Geraſa,* inquit, *& Ieraſa, olim Gergeſa, Ioſepho etiam tertio de bello ſecundo, Geraſi: Hieronymo verò de locis Hebraic. litera G. dictione Gargaſi, dicta eſt Gargaſi, inſignis vrbs ac munita trans Iordanem, cuius Regio, monti Galaad iungitur, ac continetur. Sita verò eſt ſupra montem, in vlteriori, hoc eſt, Orientali, maris Galilææ litore ex aduerſo Tiberiadis, paululum tamen ab ea ad Aquilonem declinans. hanc olim dicuntur habitaſſe Gergeſæi, qui à Gergeſæo quinto filio Chanaan ſuã traxêre originem. Sed poſteà cum hos filij Iſrabel in promiſſæ terræ inuaſione deleuiſſent, tenuit eam dimidia tribus Manaſſe. Ab hac ciuitate circumiacens territorium Regio Geraſanorum vocatur, quam Matth. Græcè* γεργεσηνῶν, *id eſt, Geraſanorum, Marcus verò, & Lucas* γαδαρηνῶν, *hoc eſt, Gadaranorum vocant. Quare multi arbitrati ſunt vnam, eandemque ciuitatem tria hæc habuiſſe nomina Geraſa, vnde Geraſæni, Gergeſa vnde Gergeſani, & Gadara vnde Gadaræni etiam dicti, qui illam regionem incolebant. Sed ex Ioſepho 2. de bello 19. 20. & 3.*

*Ga… Ge… Ga…*

*10. & 3. de bell. 2. Hier. de lo. Heb. lit. G. dictione Gadara, & Gergeſa, Ptolomæo lib. 5. tabul. 4. liquet Geraſan; & Gadaram diuerſas fuiſſe ciuitates, ambas trans Iordanem ac mare Galilææ, nec longè inter ſe diſsitas. Itaque credibile eſt eandem hanc regionem ab vtraque ciuitate nomen accepiſſe, & à Geraſa quidem, quæ & Gergeſa quibuſdam etiam dicitur Geraſanorum, & Gergeſænorum: à Gadara verò Gadarenorum, & Gadarenſium dictam eſſe. Latinus porrò interpres ideo videtur nomen Garaſænorum vſurpaſſe, quod illud ſuo tempore eſſet notius, & communius, nam & Hieronym. in Abdiam primo ſcribens, eam Arabiæ partem, quæ prius Galaad vocabatur, ſuo nomine nuncupatam aſſerit Geraſam. Ioſephus lib. 5. de bello cap. 3. habet, Tranſmarinæ Regionis Metropolim fuiſſe Gadara. Ioſue 15. & apud Ioſeph. 3. de bell. cap. 6. fit mentio alterius Gadaræ citra Iordanem in Iudæa. Baronius anno Chriſti 31. ſcribit Gergeſænos appellatos vt Heuæos, Cæthæos, Iebuſæos, fuiſſe ſcilicet populos trans Iordanem, & lacum Genezaret poſitos, quorum ciuitates ſint ab Hebræis exciſæ ex Ioſepho lib. 1. antiquitatum 6. Earumque nomen tantum manſiſſe, licet Hierony. de locis Hebraicis dicat, ſupereſſe viculum ſupra montem iuxta ſtagnum Tiberiadis qui Gergeſa dictus eſt, ibique factum miraculum de porcis. Videtur autem Baronius diſtinguere Gergeſam à Geraſa. Porro Gadaram dictam ait, à tribu Gad, cui etiam in ſortem venit, quæ cum à Iudæis eſſet deſtructa, Pompeius ex Ioſepho lib. 1. de bello, quinto, in gratiam liberti ſui Demetrij Gadarenſis reſtaurauit, in re peruetuſta ſatis hæc adnotaſſe.*

Conſentit Strabo lib. 6. Ἐςὶ δὲ καὶ ἐν τῇ γαδαρίδι ὕδωρ μοχθηρὸν, λιμναῖον οὗ τὰ γευσάμενα κτήνη τρίχας καὶ ὁπλὰς καὶ κέρατα ἀποβάλλει. *Eſt vero in Gadaride mala aqua, qua guſtata iumenta pilos, vngulas & cornua abiiciunt.* Quod Caluinus obiicit aquas illas laudatas non fuiſſe, de quibus Strabo ſcribit, alium fuiſſe in vicinia locum oportet. nam aquæ Genezareth valde commendantur.

## QVÆSTIO II.

### *An aliquando animæ defunctorum appareant?*

*Dæmoniaci non ſunt naturaliter furioſi.* §. 1. BEza iterum duplices hic Energumenos nobis producit, ſed Ariſtotelico errore, non Chriſtiano ſpiritu, verba eius iſta ſunt: [Dæmoniacos δαιμονιζομένους. id eſt, à dæmonibus obſeſſos, non ſimpliciter furioſos, quos vetus Eccleſia ἐνεργουμένους vocabat, eos etiam meo iudicio intelligens, qui interiore, & à medicis ſanabili furore corripiebantur, dilucida habentur interualla. Nam & Græci medici, quoddam eiuſmodi furoris naturalibus remediis ſanabilis genus δαιμόνιον vocant, in eo tamen reprehendendi, quod ſuperſtitioſa & magica quædam interdum admiſcent, vt apud Nicolaum Damaſcenum videre eſt. Morbos autem iſtos etiam à corporis intemperie orientes, à dæmonibus etiam interdum immitti, & ex hiſtoria Iobi liquet, & ex iis qui σεληνιαζόμενοι in his hiſtoriis dicuntur, & ex incurua illa muliere, cuius fit mentio Luc. 13. 12. Sed & Euripides in Phæniſſis δαιμονῶντας vocat eos, qui dæmonum agitatione inſaniunt.]

*Animas in dæmones mutari putabant.* Non ſunt illi Energumeni, ſed ægri, nec Patres eos dæmoniacos agnoſcunt. De hiſce in monumentis hominum hærentibus variæ cauſæ recenſentur, non deſunt, qui ſepulchrorum infamandorum cauſa eos hærere ſic putarunt, Platonicorum delirium erat, animas mortuorum in dæmones mutari. Forte etiam horrore ſepulchrorum magis terrerent, & conficerent. Potius diuino iudicio in ea ſola loca delegati videntur, non longius excurrere permiſſum, ſed ſi quis proximè accederet, in eum impetum faciebant. Miſericordiæ igitur Domini fuit, ne magnam regionis partem infeſtam haberent.

Paradoxum hac de mutatione animarum in dæmones referunt, Chryſoſt. Euthym. Victor Antiochenus. Non quidem Tertulliano, ſed Tertullianiſtis tribuit Pammelius. Gentium erat illa opinio. ita minatur Regina furens.

*Sequar atris ignibus abſens,*
*Et cum frigida mors animæ ſubduxerit artus*
*Omnibus vmbra locis adero, dabis improbe pœnas.*

§. 2. Occaſionem inde Muſculus capit traducendi animarum apparitiones, quas Catholici aſſerunt. [Sed cur, *ait*, dæmones in ſepulchris eſſe voluerunt? Chryſoſtomus hoc loco dicit, hoc ideo factũ, quod conarentur pernicioſam opinionem hominibus ingerere de animabus defunctorum, nempè quòd dæmones fiant: & quòd hinc inde vagentur, maximè apud mortuorum ſepulchra. Et quid aliud inter Chriſtianos apparitionibus ſuis ementitis egit Satan, quibus ſcilicet ſe pro animabus defunctorũ vendidit? An non hoc receptum eſt per omnem Papatum, perſuaſumque animas hic errare, apparere, auxilia implorare, & neſcio quæ vana vel in deſertis ædibus, vel mortuorum monumentis, vel noctu deſignare? Et quis non credat, poſteaquam tam multi per ſua exorciſmata rei veritatem adeo euidenter inueſtigarunt: nempè ex ipſa dæmonum confeſſione, qua ſe dicunt eſſe mortuorum animas?]

*Aliquando animæ apparent, aliquando Spiritus.* Nos quidem animas fidelium eſſe in manu Dei fatemur, ſed ea, dum in aliquo delicto ſunt, expurgatione indigere: damnatorum Spiritus ignibus gehennæ torqueri, poſſe aliquando ad imperium iudicis excedere, non liberos ſupplicio, ſed ad finem quem ſibi diuina prouidentia propoſuit. Neq; negamus dæmonum frequenter impoſtura id fieri, vt animæ apparere videantur, verum id ſemper fieri, non poteſt homini prudenti perſuaderi, cum tot res aliter nos edoceant, vt noſter Thyræus de ſpirituum apparitionibus demonſtrat.

Sed Chryſoſtomum citat ſuper Matthæum hom. 29. [Non poteſt, *inquit*, anima à corpore ſeparata in his regionibus errare. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt: peccatorum verò poſt hunc exitum continuò abducuntur, quod in Lazaro & diuite planum efficitur. Sed alibi quoque Dominus ait: Hodie animam tuam abs te repetent. Non igitur poteſt anima, cum abſceſſerit à corpore, apud nos hic errare. Et mox: *Frequenter apparitiones habent imposturas.* Multis è locis Scripturæ comprobari poteſt, non errare hic poſt mortem iuſtorum animas. Nam & Stephanus ait: Suſcipe Spiritum meum. Et Paulus reſolui cupiebat, & eſſe cum Chriſto. Quod verò nec peccatorum animæ hic commorari poſſunt, diuitem audias, quid dicat, perpende quid petat, & non impetrat. Quod ſi poſſent animæ hominum hic conuerſari, veniſſet ipſe, vt cupiebat, & ſuos de tormentis inferni feciſſet certiores. Quo etiam ex loco Scripturæ apertè patet, quod poſt exitum à corpore in certum quendam locum animæ deducuntur, vnde redire ſponte ſua non poſſunt, ſed terribilem illum iudicii diem ibi exſpectant. Hæc Chryſoſtomus. Vnde videmus impoſturam dæmonum, ſimul & miniſtrorum ſuorum, in apparitionibus fictarum animarum: & videmus etiam quo tandem abducantur, qui fidem ſuam non ex Scripturæ ſacræ regula metiuntur, ſed quibuſuis credunt impoſtoribus.]

Verũ ille de ordinaria ratione & modo intelligendus, non poſſe animas ſuo arbitrio vagari, viæ ducem non habere, quid aliquando Dominus omnium iubeat, non definit. S. Auguſtinus, an animæ martyrum

ipſæ

ipſæ præſentes ſint, an alio modo iuuent, addubitat: *Alij itaque ſunt*, inquit, *humanarum limites rerum, alia diuinarum ſigna virtutum: alia ſunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt; quamuis & naturæ Deus aſſit vt ſit, & miraculis natura non deſit. Non igitur ideo putandum eſt viuorum rebus quoslibet intereſſe poſſe defunctos, quoniam quibuſdam ſanandis vel adiuuandis martyres aſſunt: ſed ideò potius intelligendum eſt, quod per diuinam potentiam martyres viuorum rebus interſunt, quoniam defuncti per naturam propriam viuorum rebus intereſſe non poſſunt. Quanquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur martyres iis, quos per eos certum eſt adiuuari: vtrum ipſi per ſeipſos aſſint vno tempore tam diuerſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis, ſiue vbi ſunt eorum memoriæ, ſiue præter ſuas memorias vbicunq; adeſſe ſentiuntur: an ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium conuerſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentiâ ſupplicantum, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus vtique non præſentamur, nec vbi ſint, nec quid agant, ſcimus, Deus omnipotens qui eſt vbique præſens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens martyrum preces per angelica miniſteria vſquequaque diffuſa, præbeat hominibus iſta ſolatia, quibus in huius vitæ miſeria iudicat eſſe præbenda: & ſuorum merita martyrum vbi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum memorias, quoniam hoc nouit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti, pro cuius illi confeſſione ſunt paßi, mirabili atque ineffabili poteſtate, ac bonitate commendet. Res hæc altior eſt, quam vt à me poſſet attingi, & abſtruſior, quam vt à me valeat perſcrutari: & ideo quid horum duorum ſit, an verò fortaßis vtrumque ſit, vt aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam martyrum aliquando per angelos ſuſcipientes perſonam martyrum, definire non audeo, mallem à ſcientibus iſta perquirere. Neq; enim nemo eſt, qui hæc ſciat, non qui ſibi ſcire videatur & neſciat:*

*Animæ Dei voluntate aliquando apparent.*

Aliquando adeſſe, aliquando angelos earum loco docet noſter Thyræus lib. 1. de locis infeſtis, quamuis ille de infeſtantibus agit ſpiritibus. Signa etiam producit, quibus dignoſci poſſint; ad quem lectorem remitto.

Interim apparet ex Auguſtino, quomodo ſit Chryſoſtomus intelligendus. Nempe animas nec è cœlo, nec ab inferis ſuo arbitrio excedere, & vagari, ſed aliquando illa fieri Dei permiſſu, & iudicio. Non naturali virtute ſed diuina potentia; ſunt enim non naturalium limites rerum, ſed diuinarum ſigna virtutum.

## QVÆSTIO II.

### *An cruce Dæmon pellatur?*

§. 1. MAldonatus ideo cruces ſepulchris, & aquam benedictam addi docet: cum Toſſanus irridet: [At lepidus eſt Maldonatus qui occaſione huius loci conſuetudinem Pontificiorum laudat, qui ad monumenta varias cruces erigunt, & aquam habent exorciſmis luſtratam ad fugandos Dæmonas: quæ omnia mera ſunt ludibria, quæ Spiritus ille nequam facile contemnit & eludit, & quarum nulla fit mentio in illa πανοπλίᾳ contra Spiritus immundos Epheſ. 6. cum precibus potius, fide & ieiunio fugari debeat Dæmon.]

*Cruce an dæmon pellatur.*

Profanus irriſor ille eſt, qui ita contra antiquam conſuetudinem argutatur, rem ipſam examinemus. Principio quidem ſi eſt illa ridicula conſuetudo, cruce & aqua benedicta fugare Dæmonas, ea in culpa fuere veteres. Cyprianus, ſeu illi par auctor de paſſione Chriſti. *Cuius* (ſanguinis dominici) *hodie tanta eſt auctoritas & poteſtas vt non ſolum Iſraelitica limina muniat, ſed etiam ab his qui Iſraeliticè non viuunt, ſolum ſacramenti ſignum repellat Dæmonia: & vbicunque conſpecta fuerit, terribilis ſit eis ſacri nominis virtus & ſanguinis nota.*

*Crux dæmones pellit.*

§. 2. Mentio non fit apud Paulum, quod non eo pertineat, ſed quia Paulus de internis agit remediis, & de animi tentationibus. Verum vſum crucis oſtendit ex traditione Tertullianus *de corona militis* cap. 3. *Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus.* Et in eum Pamelius doctiſſimus interpres. *Locus maximè inſignis de vſu ſignaculi crucis apud Chriſtianos antiquiſſimo, quem adeo omittere maluerunt Magdeburgenſes quam recenſere, duntaxat negantes ea ætate in Baptiſmo adhibitum fuiſſe ſignum crucis. Verum non ſolum Patres poſteriores, ſed etiam ante Tertullianum B. Iuſtinum Martyrem id agnouiſſe oſtendimus Adnotat noſtris in B. Cyprian. Epiſtol. 56. num. 31. Etſi enim vbi de Baptiſmo agit expreſſe non meminerit, certè eadem Apologia dicit nihil ſine hac figura crucis adminiſtrari. Cui adde B. Dionyſium Areopagitam lib. de Eccleſ. Hierarch. qui crucis ſignaculi vſum in Baptiſmo & conſecratione chriſmatis, toties nominatim recenſet. B B. Ignatii quoque & Martialis teſtimonia, etiam Origenis apud Euſebium lib. 6. cap. 43. quæ breuitatis gratia omitto; quare calumniantur dum ad Montani ceremonias id referunt. Certè morem, quo crucis ſignaculo frontem terimus ad omnem progreſſum, ad omnem promotum (vbi promotus ſicut & calceatus, iuxta quartam inflexionem pro calceatione capi adnotauit Rhenanus) ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad menſas, ad lumina, ad ſedilia, ad cubilia, quacunque nos conuerſatio exercet: Magdeburgenſes cum ipſi vtantur cum ceteris Lutheranis, non diffitentur antiquiſſimum. Eundem interim (contra Caluiniſtas) etiam omnibus veteribus vſitatum fuiſſe comprobauimus ex aliis in B. Cyprianum. Adnotat noſtris in Epiſtol. 63. num. 39. & lib. 3. Teſt. ad Quirin. cap. 22. num. 105. Quibus ſi addidero alios locos Tertulliani ſinem fecerim. Eſt alter ſupra lib. aduerſ. Iud. Tom. 1. cap. 11. vbi poſtquam de ſigno Tau adtulit Scripturam Ezech. 9. addit: Huius autem ſigni ſacramentum variis modis prædicatum eſt. Quod ipſum explicat lib. 3. adu. Marc. Ipſa eſt enim littera Tau, noſtra autem T. ſpecies crucis, quam portendebat futuram in frontibus noſtris apud veram & Catholicam Ieruſalem. Denique adhuc apertior lib. 2. ad Vxorem, Latebis ne (inquit) tu, cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas?*

*Veterum ſententia de cruce.*

§. 3. Expellendi rationem aliam idem Athana. in explicatione Pſalm. habet. *Ego certè (inquiebat ſenex) à ſapientibus audiui olim in Iſrael recitandis ſacris Scripturis dæmones expelli ſolere, inſidiaſque eorum contra homines retegi: Vnde quauis pœna dignos cenſebat, qui his vocibus omiſſis aliunde verba elegantia aucupantur, in iisque ſe exorciſtas nominant, quin potius operam ludunt, & ſe ridiculos dæmonibus præbent, qualia in actibus Apoſtolorum, Iudæorum filios feciſſe legimus: qui & ipſi quoque eodem modo Dæmones eiurare conati ſunt. Ea igitur, cum dæmones animaduertunt, ludibrio habent, contra ſanctorum voces exhorrent, & ferre nequeunt. Eſt enim in verbis ſacrarum Scripturarum Dominus, quem cum ferre nequirent, vociferabantur. Quæſo ne nos ante tempus torqueas: vrebantur ſiquidem, ſi vel ſolum Dominum præſentem vidiſſent.* Et in vita S. Antonii, *Magna, dilectiſſimi, aduerſum Dæmones arma ſunt vita ſyncera: & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto: pertimeſcit Satanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, manſuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, miſericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum cor erga CHRISTI amorem.*

Exempla plurima & authentica videre licet apud accuratiſſimum Scriptorem Petrum Thyræum noſtrum, de locis infeſtis, parte 3. capite 68. & dæmoniacis, aliiſque locis. Venantius Fortunatus plura recenſet, in vita Germani capite vigeſimo ſeptimo,

puellam

pellam Magneſheden obuiam S. Germano factam crucis ſigno à Dæmone liberatam. Nobis crucis vim ſatis Martialis ad Burdegal. Epiſtol. cap. 8. expoſuit. *Crucem Domini, in quem credidiſtis, Deum verum & Dei Filium, ſemper in mente, in ore, in ſigno tenete. Crux enim Domini, armatura veſtra inuicta contra Sathanam, galea cuſtodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem & Angelicas inſidias peruerſæ poteſtatis ſibi propinquare nullo modo ſinens. Hoc ſolo ſigno cœleſtis victoria data eſt nobis: & per Crucem Baptiſma Dei ſanctificatum eſt.*

§. 4. Nec dubitare poſſumus, niſi omnem antiquitatis hiſtoriam negemus. Teſtatur Gregorius Nyſſenus in vita Gregorii Neocæſarienſis eum frequenter ſigno crucis dæmonas expugnaſſe. Legatur Hieronymus in vita Pauli. Nazianzenus in Oratione contra Iulianum. Baſilius de Spiritu ſancto, Origen. homil. 6. in cap. 5. Exodi. Auguſtinus ad Catechumenos. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 9. Victor Vticenſis de perſecutione Wandalica. Athanaſius de incarnatione. Paulinus natali S. Felicis. De rerum aliarum benedictionibus & vſu conſule Thyreum de dæmoniacis parte 3. cap. 45.

## VERSVS 29.

*Et ecce clamauerunt, dicentes. Quid nobis & tibi* IESV *Fili Dei? veniſti huc antè tempus torquere nos?*

### QVÆSTIO I.

*Rectene dictum, Quid tibi & nobis?*

§. 1. BEza in cap. 8. Matthæum contendit dicendum, quid tibi nobiſcum? aut, quid nobis tecum? Noſtrum obſcurè & barbarè vertiſſe cenſet. » [Clamabant, *inquit*, ἔκραζον. Eraſm. Vociferabantur, » id eſt, ἀνεβόων. Quid nobis tecum? τί ἡμῖν καὶ σοί; E- » raſm. quid rei nobis tecum, & rectè quidem, nam ſub- » auditur πρᾶγμα, cum ſic loquatur Demoſthen. περὶ » Στεφάνου. Διομνύμενος μηδὲν εἶναί σοι, καὶ Φιλίππῳ πρᾶ- » γμα, Iurans, nihil tibi cum Philippo negocii. Et He- » rodotus in Terpſich. σοὶ ἢ καὶ τοῖσι πρᾶγμα τί ἐστι; Sed » præciſè etiam ſic interdum loquuntur Latini, vt Cic. » quid huic cum Fabio? Idem. Cum Vatinii legioni- » bus quid erat Antonio? Vulgata ad verbum; Quid » nobis & tibi? obſcurè & barbarè.]

» Si Grammatica ſupercilia demamus, non video quid noſter obſcurè barbareque dixerit. Hebræa locutio eſt valdè vſitata: *Quid tibi & mihi.* ita & Syrus hic מא לן ולך *ma lan velach, Quid tibi & nobis.* vt illud Iehu. *Quid tibi & paci?* Græcus eodem modo. τί ἡμῖν καὶ σοί; Cur ergo noſter interpres Hebræam, Syram, Græcam locutionem retinuerit, non poteſt dici obſcurus, vt ſic, & illi pariter obſcuritatis damnentur. Nec video cur barbarum ſit Latinum magis, quam Græcum. Cum in Latinâ linguâ ſubaudiri poſſit, quod in Græca. vt quid mihi & tibi negotii eſt. vide 4. Regum 9. verſ. 18. & 2. Regum 16. v. 10. 2. Paralyp. 35. verſ. 21.

### QVÆSTIO II.

*Vnde ſcierint Filium Dei?*

§. 1. LVcas 4. verſ. 41. aperte fatetur ſciuiſſe fuiſſe Chriſtum. Itaque veritatis extorſio fuit, non voluntaria confeſſio. *Tantum & tam diu innotuit, quantum & quam diu voluit. Tantum autem & tam diu voluit, quantum & quam diu oportuit.* Auguſt. lib. 9. de ciuit. Dei cap. 24.

*Norunt, quantum Deus voluit.*

Dominus tranſiit, quia nemo hos dæmoniacos adducere audebat, Chriſtus voluit eos ſibi occurrere. Orant vehementer, itaque ſperant ſe aliquid impetraturos. Hæc omnia vt mali ſerui, vt comm. Hieronymi, non ſponte obedientes faciunt. Improbæ preces erant & dolores, quia cruciare non poſſunt, dolent. Adiurat apud Lucam, per Dominum; Hoc eſt, per Dei honorem obſtringo, ne me torqueas.

### QVÆSTIO III.

*An ante tempus torti dæmones?*

§. 1. IMproba, imò dæmoniaca querela, ex quà apparet, quanta fuerit in malis obſtinatio. Queruntur ante tempus ſe torqueri, βασανίσαι, cum illi miſeros homines, & creaturas miſerrimè torquerent; Tam acerbum erat in homines odium, vt hic cruciatus ſit grauiſſimus, non poſſe torquere alios.

*Odium dæmonis in homines.*

§. 2. Aliàs omninò rogabant ne torquerentur. Apud Lucam, *obſecro te, ne me torqueas.* Qua in re tormenta conſiſterent addidit, cum dixit. *Præcipiebat enim ſpiritui immundo, vt exiret ab homine.* Deinde deprecabatur multum, ne ſe expelleret extra Regionem.

Dæmones præſentia Dei tortos docet Athanaſ. de Interpretat. Pſal. circa finem. *Vrebantur ſiquidem, ſi vel ſolum Dominum præſentem vidiſſent.*

*Dæmon præſentia Chriſti torquetur.*

§. 3. Errant qui arbitrantur dæmones ante extremum iudicii diem pœnarum immunes agere, ſemper ſecum illi ſua tormenta ferunt. Itaque cruciatus ille alius non eſt, quam impedimentum exercendæ crudelitatis. Quamuis duplici modo excruciari eos nouo ſupplicio intelligere poſſimus. Vel quia coguntur diuina potentia excedere ex hominibus, qua in re mala voluntas contriſtatur. Vel quia augendis tormentis ad exeundum vrgentur, dum vſque eo cruciatus admouentur, ac intenduntur, donec cedere malint, quàm pertinacius ferre. Si enim animæ mox à morte puniuntur, non eſt ſentiendum dæmones, quorum eſt maior malitia, immunes eſſe, cum tanto ſtudio in tormenta aliena incumbant. D. Thom. p. 1. q. 64. a. 4. atque eo loco Theologi. Quomodo verò hoc in aere torqueantur ignibus, id ſoli Deo cognitum eſt.

*Duplici modo dæmones torquētur.*

§. 4. Partem quidem ſupplicii in eo conſtituendam puto, quod furialis inuidię curſum ſiſtere cogantur, flere, quia nil miſerabile vident; falſum tamen eſſe, quod ait Wolffgangus Muſculus: [Puto ego, *inquit*, torturam maiorem his ſpiritibus obtingere non potuiſſe, quam eam captiuitatem, qua nihil poſſent iuxta ſuum ingenium & inuidiam, contra ſalutem hominum machinari, ita vt interea regnum Dei creſcere videant, & prohibere nequeant. Et enim hoc ingenium animi inuidentis. Iam quia Chriſtus ad propagationem regni Dei venerat, non fruſtra torturam illam metuunt. Hinc eſt quod Chriſtus dicit Luc. 10. Videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Et Ioan. 16. Quia Princeps huius mundi iā iudicatus eſt.] «

*Inuidia torquetur ſed non ſolâ.*

Non eſt hoc ſummum tormentum. Pœna enim damni,

damni, & ignis maior eſt atque acerbior, quam inuidiæ cruciatus. Nec vllo modo hoc orarent, vt ne Chriſtus regnum ſuum propagando, inuidia ipſos torqueret. Antè tempus torquere, improbe queruntur. cum tot ſæcula torſiſſent, ſed maius ſibi ſpatium protogandum exiſtimarant. ita fieri aſſolet: omnia mala cum adueniunt, etiam tardiſſima, videntur inopinatis, & ante tempus aduenire.

Chryſoſtomus homil. 29. ait. *Nam nemine vidente flagellabantur: multoque magis quam mare paulò antè, perpuncti præſentia Chriſti atque incenſi vexabantur, atque ſæuiſſimè torquebantur. Acceßit enim Chriſtus ipſe ad eos, quoniam nemo illos dæmonibus terribiles adducere ad Chriſtum audebat. Et Matthæus quidem ſcripſit illos dixiſſe, veniſti huc ante tempus torquere nos? cæteri verò illud etiam adiiciunt, quod deprecabantur eum, & adiurabant ne velit in abyſſum eos immittere. Putarunt enim ſupplicij iam tempus inſtare, ac ideo formidine commoti ſunt, tanquam iam iam demergendi ad tormenta pœnarum.*

*Cur ante tempus ſe torqueri putarint.*

Ante tempus ſe puniendos putabant, quod nimium exagitaſſent Dei creaturas, vt Chryſoſtomus arbitratur. loco citato. *Sed quid*, ait, *reſpondebis? obiiciet quiſpiam, cum multi incantatores pueros nacti eos iugulent, vt habeant animam ſibi poſtea ſubſeruientem, & ipſos iuuantem?*

## VERSVS 30.

### *Erat autem non longe ab illis grex multorum Porcorum paſcens. Dæmones autem rogabant eum dicentes, ſi eiicis nos mitte nos in gregem Porcorum.*

## QVÆSTIO I.

*Quomodo in Porcos ire ſinuntur?*

*Latinus textus Græco melior eſt.*

§. 1. LEctio plurimorum Græcorum habet μακρὰν, *longè*, omiſſâ negante particulâ, quia vero multi ſciolorum Latina hic corrigenda putant, oppono illis Bezam, qui in Græcis potius mendum eſ-
,, ſe oſtendit. [Longè μακρὰν, vulgata, non longe: re-
,, pugnante quidem fide omnium Græcorum exempla-
,, rium, quæ nobis videre contigit: ſed tamen rectius,
,, ni fallor, quam abſque negante particula: quum te-
,, ſtentur alii Euangeliſtæ porcos iſtos in montibus fuiſ-
,, ſe, veluti in cõſpectu ſitos, vt apparet ex articulo quaſi
,, δεικτικῶς adiuncto. Porcos autem illic & quidem gre-
,, gatim pauiſſe, mirum non eſt; prȩterquam enim quod
,, Gadara & Hippen vrbes Pereæ vicinas (vtpote Gali-
,, læam interiecto Iordane ab Oriente finientes teſte Io-
,, ſep. lib. de bello Iud. 3. cap. 2.) teſtatur idem Ioſephus

*Multi gentiles apud Iudæos.*

lib. antiq. 17. cap. 14. fuiſſe Græcanici inſtituti, conſtat plurimis incircumciſis, quos genera iter Græcos vocant pleraſq; ciuitates refertas illis iam tum tempo-
,, ribus fuiſſe, ne ipſa quidem Iudæâ exceptâ. Qua de re
,, vide Ioſep. lib. de bello Iud. 2. c. 19. & 20. Id autem et-
,, iam ex eo apparet, quod hic fit mentio monimento-
rum, vt loci ſepulchris referti. quum Iudæorum inſti- “
tuto ad ſeptem dies impurus haberetur, qui in talibus “
locis verſaretur. vt diſertè ſcribit Ioſephus de Tiberia- “
de ab Herode Antipa ſub Tiberii nomine extructa diſ- “
ſerens. lib. Antiq. 16. c. 3.] “

Piſcator etiam putat negatiuam addendam, locum fuiſſe in conſpectu. Nec ego dubito cum paſtores ita præſentes fuerint, vt omnia viderint, & retulerint, & Lucas ac Marcus teſtentur, cum pro οὐ μακρὰν habeant, *illic*, ἐκεῖ: ſi procul aberant, non erant ἐκεῖ, *illic*: quapropter immerito à ſciolis noſter interpres reprehenditur.

§. 2. Permittit ire in porcos, vt certo conſtaret eos exiſſe. Deinde vt manifeſtum eſſet, quæ datâ licentiâ in homines patraturi eſſent. Tertio, vt re tam conſpicua homines ad animę ſalutem excitarentur. Quarto, vt Saducæos euinceret, naturam incorpoream negantes. Denique vt Gadareni homines improbi, & Euangelii contemptores punirentur, vt Epicurei, & Saducæi intelligerent, alias eſſe naturas, & leges quam corporum. Denique Porcos alebant Syri, nam regio illa à Iudæis, & alienigenis miſtim habitabatur. Ioſeph l. 17. Antiq.

§. 3. *Beza putat ridiculos, qui permißionem voluntati opponunt.* Hic quidem locus permiſſioni manifeſtè fauet ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν, *permitte nos intrare*, & Syrus eodem modo אבט ſine. Quorum autem partes hic Beza tueatur, ipſe, ſi legiſſet, quæ lib. 22. contra Fauſtum Manichæum habet Auguſt. intellexiſſet.

§. 4. *In mare.* Epiph. hæreſ. 30. putat non in mare Genezareth, ſed in aquas calidas, quæ erant eodem in loco. Sed non eſt dubium, in mare delatos, ad quod paſcebantur, & quod Dominus nauigarat.

Sed Chriſtus quod male peti non ignorabat, bono fine permiſit, vt cum homines illi gentiles, athei, & carnales eſſent, qui, vt Ariſtoteles, vel non crederent eſſe dœmones, ſed humori melancholico & furoribus iſta tribuerent, intelligerent, non arte medicâ ſubductam inſanię materiam, ſed poteſtate diuinâ malignos Spiritus eiectos, qui vno impetu porcos in mare præcipitarent. Itaque illa permiſſio apud impios qui manes, & inferos arbitrabantur fabulas, neceſſaria fuit. Si enim Spiritus ſunt hominibus inimici, ſi maior his eſt qui illis imperat, torquet, apparet & aliud regnum eſſe in quo ſpirituum non corporum res agantur. Magna ſanè & formidanda potentia videbatur, duo millia porcorum vno momento in præceps ire, nulla foris apparente cauſa, quare & incolæ timentes orabant, vt diſcederet è finibus illorum. Cauſam etiam alam habebant, cur in porcos eundi veniam poſtularent, vt Chriſtum exoſum redderent incolis, & miraculi magnitudinem damni coniunctione minuerent, detrimentis enim homines admirabiliter irritantur, & virtutem, quamuis ſpectatam, ſi iacturam attulit, oderunt. Vnius meminerunt Lucas & Marcus. Quod eius curatio illuſtrior, vt Chryſoſtomus, Auguſtinus lib. 2. de conſenſu cap. 24. Multi erant, ſed de vno loquuntur Euangeliſtæ, vel quia vnus omnium caput, vel quia vna omnium torquendi voluntas.

* *
*

CAPVT